Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
17 — G
74

Na

Digitized by Google

DE CULTU RELIGIOSO DISSERTATIONES QUINQUE,

IN QUIBUS

ECCLESIA ROMANA AB IDOLOLATRIÆ CRIMINE VINDICATUR.

Adverſus Recentiorum Proteſtantium novas expoſtulationes.

Autore P. ANTONIO BONETO, è Societate JESU.



TOLOSÆ,
É Typographiâ PECHIANA.

M. DC. XCI.
Cum Privilegio & Approbatione.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

De Cultu Euchariſtiæ.

Diſſertatio ſecunda.

De Cultu Crucis, & Imaginum Chriſti.

Diſſertatio tertia.

De Cultu Sanctorum.

Diſſertatio quarta.

De Cultu Imaginum Sanctorum.

Diſſertatio quinta.

De Cultu Reliquiarum.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
MELDENSI EPISCOPO
DOM. JACOBO BENIGNO
BOSSÜETO,
OLIM
SERENISSIMI GALLIARUM
DELPHINI
PRÆCEPTORI.

IN *Religionis & Galliæ rebus hoſpitem verſari oportet illum, qui miretur, cur his meis diſſertationibus Tuum potiſſimùm,* PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *nomen inſcribam. Nempe doctrinæ Catholicæ, vim & intel-*

Digitized by Google

ligentiam ita aſſecutus es, eamque tam felici operâ, ab adverſariorum criminationibus vindicaſti, ut ſi quando hujuſce generis lucubrationibus nomen præfigatur Tuum, ex eo certè illis, & popularem plauſum, & facilem apud viros doctos admiſſionem liceat augurari. Augurium illud veriſſimum dico, ſive eo titulo ſignificetur opus à Te conſcriptum eſſe, ſeu probatum Tibi, Tuoque tectum præſidio, in conſpectum hominum lucemque prodire. Tantam ſanè, tamque mirabilem rerum iſtarum notitiam Tibi ut comparares, Dei crediderim conſilio factum, qui cùm intelligeret ſummâ te eruditione, & ſingulari ad perſpiciendas Proteſtantium captiones acumine pollere, animum & cogitationem tuam ad controverſias fidei convertit; teque unum ferè ex omnibus delegit, qui Religionis cauſam tuiturus in arenam, campumque deſcenderes.

Digitized by Google

Eò ſcilicet ſpectabat Divina Numinis ſapientia, cùm Tibi erudiendum inſtituendumque tradidit Principem ad hoc factum & comparatum, ut eas deleret Calvinianæ ſectæ reliquias quæ LUDOVICI MAGNI, *vim & ſolertiam effugiſſent. Pervidebat illa innatam pueris virtutis indolem, educatione, ac domeſticâ diſciplinâ, ſenſim perfici, aut depravari. Quamobrem cùm* SERENISSIMUS DELPHINUS, *à Te omni ſcientiarum genere excultus, præter cætera ornamenta, eximium à Patre erga Majorum Religionem, amorem ac reverentiam hauſiſſet, decebat eum præfici ejus pueritiæ Doctorem ac moderatorem, qui hujuſmodi pietatis igniculos, & ſemina foveret, ac roboraret. Decebat, ad ejus inſtitutionem admoveri Præſulem illum, qui præclaros ad Religionem tuendam impetus, quos Patris exemplum excitabat, regeret ac mo-*

Digitized by Google

deraretur, quique doctus eſſet eam hæreſim laceſſere calamo, quam LUDOVICUS *Parens, armis, atque edictorum ſanctionibus oppugnaret.*

Accedit, eâ etiam de causâ lucubrationem hanc meam nominis tui patrocinium ambire, quòd Te veluti autorem agnoſcat ſuum, Tibique planè acceptum referat quòd luce publicâ jam fruatur. Poſtquam perlegeras diſſertationem, de Cultu Eucharistiæ, Gallicè ſeorſum excuſam, opuſculum probare viſus es, & literis humaniſſimis monuiſti ut cœptis inſiſterem. Monitum habui loco præcepti. Quamquàm enim illius opuſculi anguſtiis calamum continere decreveram; tuo potiſſimùm conſilio, de Cultu Religioſo univerſo diſputationem aggredior. Et ſanè, cùm iſtud Religioſi cultûs vocabulum rumores inprimis, & tragœdias maximas apud anticatholicos excitarit, quòd

nempe opportunius videretur ad fucum indoctæ plebi faciendum, & idololatriæ invidiam Romanæ Eccleſiæ conflandam, operæpretium fore exiſtimavi, eâ de re accuratiùs, uberiuſque diſſerere. Conferet aliquantùm, ut ſpero, labor hic meus, ad Religionis cauſam promovendam; ſin minùs id conſequar, ex eo certè conſtabit, voluiſſe me Tuis conſiliis obſequi, tibique eſſe teſtatum, quâ Te ILLUSTRISSIME PRÆSUL *reverentiâ proſequatur.*

Addictiſſimus tibi,

ANTONIUS BONETUS,
è Societate JESU.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

OPUS à me Latinè nunc editur, quod Gallicè ante aliquot annos publicâ luce donavi. Et ſanè utrâque linguâ vulgari placuit, quòd neutrâ vulgandum cuipiam fortè videatur. Enimverò, inquies, quid juvat fidei controverſias verſare toties ac refricare, poſtquam in unam Romanæ fidei communionem, omnes demum Galliæ populi conſenſcre? Præclara in ſpeciem argumentatio; ſed qui iſtæc accuratè perpenderit, næ ille continuò exiſtimabit hujuſmodi documenta nuſquam eſſe magis ad rem Catholicam accommodata. Vel enim novi Catholici ſimulatè & obſequendi

ſtudio

Digitized by Google

ſtudio, vel ex animo bonâque fide ad Romanam Eccleſiam acceſſerunt. Et priores illos quidem edoceri, ac diſputationibus urgeri neceſſe eſt, ut errorem penitus ac religionis ſimulationem abjiciant. Alii verò, cum vix fieri poſſit, quin animo hæreant ſcrupuli, & veterum opinionum præjudicia, quæ è domeſticâ pueritiæ diſciplinâ hauſerunt, egent omnino noſtris iſtis documentis, quibus & fidei conſtantiam, & animi tranquillitatem aſſequantur. Accedit, quòd doctorum Catholicorum opera, quæ duriùs olim reſpuebant, nunc facti manſuetiores cupidè expetant, perlegantque. Atque hæc planè ſunt, quæ ut diſſertationes iſtas Gallicè ſcriberem, me nuperrimè impulerunt.

Ut autem eas hoc tempore latinè vulgarem, hæc mihi maximè ſuaſere. Primùm quòd in finitimis, Borea-

ē

Digitized by Google

libus præſertim Regionibus, in quibus Lutherana aut Calviniana viget diſciplina, doctorum hominum pauci admodum, linguam calleant Gallicam, adeoque ſententiam noſtram, librorumque noſtrorum vim non niſi dubiâ aliorum, ac male tutâ interpretatione percipiant: atqui exterorum perinde ac noſtratium ſaluti conſulendum fuit; & ſi placet etiam, libellorum quos hominum à nobis ſeu profugorum, ſeu transfugarum operâ, in Galliam continenter effundunt, multitudini & captionibus aliquid reponendum.

Deinde quotidiano jam experimento compertum eſt librorum Gallicè ſcriptorum fatum hoc eſſe, ut cum ipſo idiomate, & linguæ vocabulis conſeneſcant. Scripſere de controverſiis fidei, ſub finem ſuperioris, & ſub initium hujus ſæculi, viri eruditione præſtantes, atque, ut ea

Digitized by Google

ferebat ætas, elocutione & oratione limati. Commentaria edidere graviſſima doctiſſimaque, quæ tamen delicatæ hujus ævi noſtri aures faſtidiunt, ob unam elocutionis vetuſtatem; quaſi qui gemmas obſoletis ſcilicet panniculis involutas gravatur euolvere. Iniquitas, fateor, eſt illa noſtrorum temporum; quid faceres? at eſt tempori ſerviendum. Itaque ut hujuſmodi incommodo, ac vetuſtatis periculo occurratur, linguâ latinâ ſcribendum fuit, quæ non facilè intermoritura eſt, quæve, ut ad loca, ita ad tempora remotiſſima, pura illibatáque tranſmittitur.

Cæterùm omiſſis aliis catholicæ doctrinæ capitibus, quæ à Lutheranis & Calvinianis in controverſiam vocantur, in Religioſo potiſſimùm cultu illuſtrando ſtudium & operam poſui, quòd intelligerem adverſarios eum ſæpius ac vehementius inſecta-

Digitized by Google

tos. Videbatur nimirum magis plauſibile ac populare argumentum, prorſuſque idoneum ad plebis animos contra Romanam Eccleſiam concitandos, quam, ſi ſuperis placet, Idololatriæ ac ſuperſtitionis ream dicerent quæ res creatas coleret, adoraret, lignoque & lapidibus ſerviret, famularetur. Itaque ut Eccleſiam Catholicam ab eâ calumniâ vindicem, partes omnes Religioſi cultûs perſequi placuit, non ita tamen ut rationes adducam, quibus doctores catholici ad eum ſtabiliendum uti ſolent, ne videlicet actum agam; ſed ut ad illa, quæ à nuperis autoribus proteſtantibus objiciuntur, cumulatè reſpondeam. Non omitto tamen, datâ occaſione, antiquorum captiones fallaciaſque retegere. Atque ut intelligant adverſarii quantùm cauſæ noſtræ æquitati confidamus, obſervare ipſiſmet liceat, ne-

quaquam præteriri aut diſſimulari à nobis difficiliora eorum argumenta, imo urgeri illa ac roborari, eorumque etiam reſponſiones omnes effugiáque præverti.

Viam porrò ac methodum ſequimur quâ ipſi præïverunt; cum enim minus arrideret illis uſitata olim diſputandi ratio, quâ ſcripturæ patrumque loca variis interpretationibus illuſtrata in unum congerebantur, ſubtilioribus jam viſum eſt ac theologicis rationibus agere. Et eos quoque hac viâ perſequimur, in primo præſertim opuſculo; in aliis minus erit preſſa minuſque ſubtilis diſputatio, præterquam ubi inveſtiganda fuit divi Thomæ ſententia, circa cultum Crucis, quam ſanè nemo aſſequatur abſque ope divinæ hujus ſcientiæ, quâ ſanctiſſimus doctor longè multúmque præſtabat.

Digitized by Google

SUMMA PRIVILEGII.

REGIS Chriſtianiſſimi diplomate ad ſex annos vim habituro, P. ANTONIO BONETO, è Societate JESU, facultas conceditur Typis edendi, DISSERTATIONES QUINQUE DE CULTU RELIGIOSO, IN QUIBUS ECCLESIA ROMANA AB IDOLOLATRIÆ CRIMINE VINDICATUR. Simulque cauetur, ne quis hujuſmodi librum Typis excudat, præter eos Typographos, in quos Autor jus ſuum contulerit. Qui ſecus fecerit, ſubiicitur pœnis in eo diplomate propoſitis. Datum Pariſiis die 14. Julii, an. 1690. Subſcriptum. BOUCOT.

Die verò 27. ejuſdem menſis relatum in publicas tabulas Societatis Typographorum & Bibliopolarum, juxta Decretum Senatûs Pariſienſis die 8. Aprilis 1653. & ſanctionem Conſilii Regii 27. Februarii 1656.
Subſcribente P. AUBOÜYN Syndico.

Jus in hoc Privilegio contentum ceſſit Autor JOANNI & GUILLELMO PECHIIS, Typographis Toloſanis.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum

NOS infra ſcripti Theologiæ Profeſſores in Academiâ Toloſanâ fidem facimus lectas à nobis diſſertationes quinque de Cultu Religioſo, à P. ANTONIO BONETO è Societate JESU, Gallicè & Latinè compoſitas, nihilque in iis obſervatum quod non rectè conſentiat cum doctrinâ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ. Toloſæ die 13. Octobris 1691.

CAZEMAJOU, *Regius Theologiæ Profeſſor & Decanus, Abbas S. Petri de inſula in Medulco, & in Eccleſia Cathedrali Toloſana Archidiaconus major.*

EDMUNDUS RABY, *Regius Theologiæ Profeſſor.*

JOANNES ô BRIEN. *Profeſſor Regius.*

JOANNES GISBERT *Profeſſor Regius, è Societate JESU.*

PETRUS NICOLAS, *Profeſſor Regius è Societate JESU*

Fr. ELIAS TOLOSE, *Doctor Regens Carmelitarum.*

Digitized by Google


Facultas R. P. Provincialis.

EGo infra ſcriptus Præpoſitus Provincialis Societatis Jesu, in Provinciâ Toloſanâ facultatem concedo P. Antonio Boneto, ejuſdem Societatis Sacerdoti imprimendi Diſſertationes quinque *De Cultu Religioſo*, à tribus Theologiæ Profeſſoribus recognitas & approbatas, jam ante aliquot annos Gallicè ab ipſo Typis mandatas, cum facultate Superiorum ejuſdem noſtræ Societatis. In quorum fidem has ei literas dedi manu meâ ſubſcriptas, & officii mei ſigillo munitas Anicii Velaunorum die 24. Julii. an. 1690.

Petrus Dozenne.

DISSER-

Digitized by Google



DISSERTATIO PRIMA.

De cultu Euchariſtiæ.

INTER omnia argumenta I.
quibus Eccleſia Catholica ſuis ab adverſariis idololatriæ vocatur in crimen, maximum, ut ipſis quidem videtur, & certiſſimum petitur ex cultu, quem illa ſingularem tribuit Euchariſtiæ Sacramento. Cum enim omnino ſtatuant nihil niſi merum panem Sacramento contineri, exiſtimant eum qui pronus Euchariſtiam veneratur, non Deo certè Optimo Maximo, ſed rei dumtaxat creatæ cultum illum ac reverentiam exhibere. Quin etiam nuperi autores Calviniani, cum intelligerent Chriſti præſentiam graviſſimis rationibus ſuaderi, longiùs multò progreſſi affirmare non dubitarunt, etiam poſitâ conceſſâque Chriſti præſentiâ, nullam deberi Euchariſtiæ venerationem, prorſuſque hallucinari Doctores Catholicos, qui ex Chriſti præſentiâ colli-

Digitized by Google

gant adorationis cultum Sacramento protinus deferendum.

Atque illud eſt inane & ludicrum idololatriæ ſimulacrum, cujus objectâ ſpecie, imperitæ plebis animi ab Eccleſiâ Catholicâ olim abalienati, & meticuloſa ingenia etiamnum à ſacris myſteriis abſterrentur. Ut autem ſublatâ omni dubitatione, perſpicuè animadvertant ſinceriſſimam eſſe Eccleſiæ Catholicæ doctrinam & ab omni ſuperſtitionis labe remotam; ſtatuamus primo diſſertationis aditu, quid voce Adorationis intelligatur, cujus varias ſubinde ſpecies ſequentibus diſputationibus fuſiùs proſequemur.

II. Adorationem hîc dico genus illud honoris qui vel poſitis humi genibus, vel prono abjectoque ad pedes corpore cuipiam exhibetur. Et Catholicæ quidem Eccleſiæ perſuaſum ab initio fuit, hoc honoris genus non ſolùm ſupremo Numini tribui poſſe, ſed iis etiam creatis rebus, quæ dignitate cæteris antecellunt, & conditoris præſtantiam propiùs imitantur. Ut autem omnibus adverſariorum criminationibus occurrat, duo ſtatuit, de quibus illi, ſi modò bonâ fide diſputationem ineunt, diſſentire non poſſunt.

Primum quidem, actiones externas ſuap-

naturâ indifferentes pretium omne ſuum, atque æſtimationem habere à motu voluntatis illas imperantis, qui cum earum velut animus & forma ſit, vituperatione vel laude dignas efficit, ſuumque illis ſive vitium, ſive honeſtatem impertit. Alterum eſt, de prono iſto corporis ſitu habituque idem planè, quod de aliis, actionibus externis, ſentiendum; cum videlicet ex ſe, nequaquam inter Religionis aut cujuſpiam alterius virtutis opera numerandum, ſed à motu voluntatis, ex quo fluit, ſuum omne meritum & appellationem ipſam habere. Conſtat autem poſſe nos egregiam, multiplicemque de alicujus præſtantiâ opinionem animo ac mente concipere, quam deinde voluntas iſto vel alio corporis habitu, palam apertéque ſignificet. Modò enim contingit ut ſuſpiciamus in aliquo præſtantiſſimam naturam, & ſummum rerum omnium dominatum, quæ ſibi ſummam reverentiam omniumque mortalium obſequia vindicent: atque hoc præclarum judicium voluntas ſanè poteſt externâ illâ venerationis notâ declarare. Licebit pariter obſervare in alio non præſtantiſſimam quidem naturam, ſed virtutes eximias præcipuo honore dignas; quam etiam de iſto magnificam exiſtimationem poteſt volun-

tas foras prodere pari reverentiæ ſignificatione.

III. Quamobrem cum ampliſſimum divini Numinis in res omnes imperium prono capite vel corpore veneramur, cultum illum Latriam dicimus, ſive adorationem Deo uni debitam, ſoli videlicet ſummoque rerum omnium moderatori. Cum autem eo corporis habitu id ſpectamus unum, ut alicujus ſive Angeli, ſive hominis, quem tamen Deo longè inferiorem exiſtimamus, virtutem ac dignitatem veneremur, hujuſmodi cultum Duliam nuncupamus. Id porro inter cultum utrumque diſcriminis intercedit, quòd Latria cultus omnium religioſiſſimus ſit, & noſtræ teſtificatio ſervitutis: Dulia verò genus illud obſequii, officiique; quod hominibus vulgò deferimus ſingulari aliquo gratiæ aut naturæ dono præſtantibus. Quod ſanè inter utrumque cultum diſcrimen adeo exploratum eſt, ut à nemine adverſariorum adverti non poſſit.

Diſcrimen inter cultum Latriæ & Duliæ.

V. Diſſ. 2. n. 21. 22.

IV. Reponent fortaſſe verum quidem eſſe poſſe nos de Deo, deque hominibus honorificè magnificéque ſentire, ſed cum hæc judicia longè diverſa ſint, nefas eſſe illa eodem cultu externo declarare, Adoratione præſertim quæ uni ſupremo numi-

ni videtur exhibenda. Verùm ex nullo capite colligi poteſt ſolam adorationem externam cultum eſſe Latriæ, Deo uni debitum addictumque; cùm ex iis quæ modò dicebamus, liquidò intelligatur nullam actionem externam nomen ſibi Religionis aut virtutis alterius vindicare, niſi affectus & imperium voluntatis accedat; ac proinde nullam externæ reverentiæ notam Latriam appellari poſſe, niſi eo animo exhibeatur, ut profiteamur palam, eſſe nos in ejus, quem colimus, poteſtate, noſque penitus illius, velut ſupremi Domini ac conditoris, ſervitio mancipemus.

Patet illud exemplo virorum illuſtrium qui abſque ullâ idololatriæ notâ, Deum hominesque ſanctitate aut dignitate conſpicuos, eodem externo cultu, flexis nempe genibus, aut proſtrato fuſoque humi corpore, venerabantur. Nam & Joſephum fratres ſui, & Joſephus ipſe Jacobum parentem, & Eliſæum Prophetæ alii *adoraverunt proni in terram.* Gen. 48. 4. Reg. 2. Quamobrem ipſi Romanæ Eccleſiæ adverſarii, ut viros ſanctiſſimos ab idololatriæ crimine vindicent, fateantur neceſſe eſt adorationem externam ſuapte naturâ, tum vitii tum honeſtatis expertem eſſe, & pro vario mentis affectu, modò Latriæ cultum, modò Religionis

opus, modò obſervantiæ genus quoddam, officiumque urbanitatis evadere. Atque hæc multiplicis adorationis notio, quæ ſequentibus diſſertationibus fuſiùs exponetur, præmittenda fuit huic, de cultu Euchariſtiæ, controverſiæ quæ nobis in præſentiâ excutienda & dirimenda proponitur.

V. Ut autem certum, de cultu Euchariſtiæ debito, Eccleſiæ Catholicæ dogma, primo aditu, ſtatuatur; docet, ejus nomine Concilium Tridentimum, *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſsimo Sacramento in veritate exhibendnm.* Reclamant videlicet adverſarii, nervoſque omnes contendunt, ut hujuſmodi cultum oppugnent; at quàm caſſo irritoque conatu, ex iis quæ in nuperis, recentibuſque lucubrationibus opponunt, pronum eſt arbitrari.

Seß. 13. c. 5.

Argumenta recétiorum. Proteſtantium contra Euchariſtiæ cultum.

Aïunt primò, Chriſti corpus nequaquam Euchariſtiâ contineri, ac proinde eo loci adorari non poſſe; ſi ſecus fiat, Latriæ cultum uni Deo debitum, non Chriſto, ſed pani, reique creatæ exhiberi.

Aïunt ſecundò, quamvis daretur Chriſtum vulgò in Euchariſtiâ præſentem adeſſe, contingere tamen interdum, abeſſe illum ob varios caſus qui ab ipſiſmet Doctoribus Catholicis proponuntur; ſi nempe

Digitized by Google

Sacerdos non foret rite ſacris initiatus; vel ſi ad altare accederet animo non conficiendi Sacramenti; ſi omitteret aliquod formæ vocabulum; aut materiam nec probam nec idoneam adhiberet. Atenim inquiunt, ſi contingat aliquando Chriſtum non adeſſe præſentem in Sacramento, nunquam licet Sacramentum adorare, ne adeatur idololatriæ periculum, & honor Deo debitus, rei creatæ tribuatur.

Aiunt denique, quamvis certò conſtaret Corpus Chriſti Euchariſtiâ contineri, nefas tamen eſſe illud adorare; cum enim ſpeciebus Euchariſticis occultetur, adorari ſanè non poteſt, niſi ſimul rebus illis creatis, quibus tegitur, cultus hujuſmodi deferatur.

Atque hæ ſunt rationes præcipuæ, & firmiſſima adverſariorum argumenta, quæ quàm inania & levia ſint, planè conſtabit ex tribus aliis pronunciatis quæ ſuperioribus principiis placet opponere.

Primum quidem, hominem Chriſtianum, qui Evangelio velut divino oraculo fidem habet, prudenter poſſe, imò certò debere exiſtimare Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ, ſub ſpeciebus panis & vini, præſentem adeſſe. VI.

Tria placita Eccleſiæ Rom. oppoſita ſuperioribus argumentis.

Alterum, poſitâ probatâque Chriſti præ-

Digitized by Google

ſentiâ in Sacramento Euchariſtiæ, planè conſequi colendum eſſe illum; nec hujuſmodi cultum ullâ ratione idololatriæ obnoxium eſſe, quamvis Chriſtus ipſe intuentium oculis minimè pateat, & ſpeciebus Euchariſticis contegatur.

Tertium denique, Chriſtum, ſi in Euchariſtiâ conſtanter adeſt, itàque homo Chriſtianus prudenter exiſtimat, abſque ullo idololatriæ periculo coli poſſe, licet ex quodam formæ aut materiæ vitio, abeſſe illum, præter opinionem, aliquando contingat.

Hæc tria ſi rectè probavero, dejicientur eâdem operâ machinæ omnes adverſus Euchariſtiæ cultum comparatæ, certóque patebit licere Chriſtianis hominibus abſque ullo idololatriæ periculo, ſacris myſteriis intereſſe.

I. Propositio. Chriſtum in Euchariſtia præſentem adeſſe demõſt. Chriſti ipſius verbis. Hoc est corpus meum.

Abſtinerem certè ab iſtâ, de Chriſti præſentiâ in Sacramento, quæſtione pertractandâ, quæ videlicet à Doctoribus Catholicis accuratiſſimè verſata eſt; niſi intelligerem quæſtionem alteram de cultu Euchariſtiæ, cum iſtâ neceſſariò cohærere. Quamobrem rem totam uno conficiam argumento, vulgato illo quidem & ex notiſſimis Chriſti verbis deprompto; at ne ſæpiùs audita ad faſtidium ingerantur,

novis

novis à me additamentis & obſervationibus illuſtrato.

Cum virum aliquem authoritate gravem loquentem audimus, Principem, verbi gratiâ, leges ferentem, vel Doctorem ſuæ ſcholæ placita exponentem, eorum verba, ut ſonant, juxtaque vulgarem ſignificationem intelligenda ſunt, planéque exiſtimandum eo ſenſu ab ipſis eſſe prolata, ne ſpecie voces dubias ambiguaſque interpretandi, daretur locus fraudulentis hominibus probam integramque doctrinam adulterandi, legumque vim, ſuum ad arbitrium libidinemque, eludendi. Cum autem Chriſtus hominum Doctor ac Legiſlator conſtitutus à Deo ſit, qui Religionis Chriſtianæ dogmata, ritus, myſteriaque ſanciret, par eſt omnino exiſtimare, in rebus tanti momenti, præſertim in Sacramentis inſtituendis, adhibuiſſe illum voces minimè obſcuras ambiguaſque; facilem alioqui reliquiſſet aditum ad convellenda Religionis fundamenta, & revocanda in dubium quæcumque ipſe hominibus imperaſſet. VII. I. Ratio. Quâ prob. Chriſti verba ad literam intelligenda.

His præmiſſis, quæ videntur poſita extra omnem dubitationem, nunc ad Euchariſtiam propiùs accedamus. Chriſtus Dominus cum ſanctiſſimum Religionis VIII.

Chriſtianæ myſterium inſtituere vellet, unumque è præcipuis Evangelii placitis homines edocere, panem ſumpſit in manus, diviſumque in partes Apoſtolis porrigens, *Accipite*, inquit, *& manducate: Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Viri Catholici, ex ſingulari in ſummum Doctorem & Legiſlatorem fide ac reverentiâ, ejus verba ad literam, ut vocant, hoc eſt, juxta propriam & vulgarē notionem interpretantur, exiſtimantque revera illum corpus ſuum epulandum Apoſtolis præbuiſſe. Adduntque neminem poſſe abſque injuriâ ſuſpicari, Chriſtum, dum conceptis verbis aſſereret tradere ſe convivis ſuum corpus, nihil tamen illis niſi umbram corporis, & meram imaginem porrexiſſe. Quæ ſanè ratiocinatio ita ſibi conſtat, ut fateantur ipſimet adverſarii, Dei loquentis verba abſque ullâ tranſlatione, juxta uſitatam vocum ſignificationem, planè eſſe intelligenda, niſi, ut ſapientiſſimè excipit Auguſtinus, certiſſima ratio & neceſſitas cogat ea in alienum, & metaphoricum ſenſum detorquere.

Quærimus autem ab adverſariis, quâ tandem neceſſitate, & manifeſtâ ratione adducti, ubi agitur de Eucharistiæ Sacramento, à ſenſu literali & uſitatâ verborum ſignifi-

Digitized by Google

:atione recedant, aſſerantque Chriſtum,]uamquam apertè dixerit hoc ſuum eſſe :orpus, eſſe dumtaxat ſui corporis umbram & figuram, ſignificatum voluiſſe? Nimirum aiunt rem illam eſſe captu difficillimam, & quæ prorſus ſenſibus adverſetur, ut credatur verum hominis corpus in Euchariſtiâ contineri, ubi panis tantùm viſu, guſtatu, tactuque percipitur. Præterea rem illam fieri nulla ratione poſſe, cum ex Chriſti in Sacramento præſentiâ planè pugnantia conſequantur. Si enim Corpus ejus panis ſpecie occultatur, ſequitur Corpus illud licet materiâ concretum, ſpiritûs indolem imitari; non cadere ſcilicet ſub aſpectum, extenſione carere, & ad exigui puncti ſpatium anguſtiaſque compingi. Sequitur Corpus illud ad ipſam Dei naturam omninò accedere, immenſum eſſe & infinitum, pluribus in locis, eodem tempore, verſari, & per ampliſſima cæli ac terrarum ſpatia longè latéque diffundi. Calvin. inſt. l. 4. c. 17.

IX. Fatemur equidem Euchariſtiæ ſacramentum myſterium eſſe captu difficile, longèque remotum ab humanæ rationis intelligentiâ, quæ, ut plurimum, ex ſolo ſenſuum teſtimonio, de rebus exiſtimat, cuique perſuaderi vix poteſt corpus ex materiæ mole compactum, aciem oculorum effu-

Chriſtianæ myſterium inſtituere vellet, unumque è præcipuis Evangelii placitis homines edocere, panem ſumpſit in manus, diviſumque in partes Apoſtolis porrigens, *Accipite*, inquit, *& manducate: Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Viri Catholici, ex ſingulari in ſummum Doctorem & Legiſlatorem fide ac reverentiâ, ejus verba ad literam, ut vocant, hoc eſt, juxta propriam & vulgarẽ notionem interpretantur, exiſtimantque revera illum corpus ſuum epulandum Apoſtolis præbuiſſe. Adduntque neminem poſſe abſque injuriâ ſuſpicari, Chriſtum, dum conceptis verbis aſſereret tradere ſe convivis ſuum corpus, nihil tamen illis niſi umbram corporis, & meram imaginem porrexiſſe. Quæ ſanè ratiocinatio ita ſibi conſtat, ut fateantur ipſimet adverſarii, Dei loquentis verba abſque ullâ tranſlatione, juxta uſitatam vocum ſignificationem, planè eſſe intelligenda, niſi, ut ſapientiſſimè excipit Auguſtinus, certiſſima ratio & neceſſitas cogat ea in alienum, & metaphoricum ſenſum detorquere.

Quærimus autem ab adverſariis, quâ tandem neceſſitate, & manifeſtâ ratione adducti, ubi agitur de Eucharistiæ Sacramento, à ſenſu literali & uſitatâ verborum ſignifi-

Digitized by Google

ratione recedant, aſſerantque Chriſtum, quamquam apertè dixerit hoc ſuum eſſe corpus, eſſe dumtaxat ſui corporis umbram & figuram, ſignificatum voluiſſe? Nimirum aïunt rem illam eſſe captu difficillimam, & quæ prorſus ſenſibus adverſetur, ut credatur verum hominis corpus in Euchariſtiâ contineri, ubi panis tantum viſu, guſtatu, tactuque percipitur. Prætereà rem illam fieri nulla ratione poſſe, cum ex Chriſti in Sacramento præſentiâ planè pugnantia conſequantur. Si enim Corpus ejus panis ſpecie occultatur, ſequitur Corpus illud licet materiâ concretum, ſpiritûs indolem imitari; non cadere ſcilicet ſub aſpectum, extenſione carere, & ad exigui puncti ſpatium anguſtiaſque compingi. Sequitur Corpus illud ad ipſam Dei naturam omninò accedere, immenſum eſſe & infinitum, pluribus in locis, eodem tempore, verſari, & per ampliſſima cæli ac terrarum ſpatia longè latéque diffundi.

Calvin. inſt. l. 4. c. 17.

IX. Fatemur equidem Euchariſtiæ ſacramentum myſterium eſſe captu difficile, longèque remotum ab humanæ rationis intelligentiâ, quæ, ut plurimum, ex ſolo ſenſuum teſtimonio, de rebus exiſtimat, cuique perſuaderi vix poteſt corpus ex materiæ mole compactum, aciem oculorum effu-

gere, extenſione ſpoliari, ſeque pluribus in locis eodem tempore ſiſtere. At pernegamus ſuperare illa Dei vires, atque potentiam, nec contingere interdum poſſe, niſi quod jactant adverſarii, corpus hujuſmodi in mentis alicujus ſimplicis tenuitatem, imò in ipſam Dei naturam continuò transferatur. Viri docti ac ſapientes nihil prorſus ultra Dei vires & efficientiam poſitum eſſe arbitrantur, niſi cum inter ſe pugnantia copulantur, & res aliqua cum ſui ipſius negatione conjungitur. Quamobrem quòd corpus aliquod eo ſitu ſtatuatur, ut nullo ſenſu percipi poſſit, ut partes ejus aliæ ſe in alias induant, & ſimul pluribus in locis exiſtat, aſſerimus quidem res eſſe longiſſimè ab humani ingenii intelligentîâ diſjunctas, non tamen inter ſe pugnantes; ac proinde graviter hallucinari illos qui ex eo quòd res illæ captu difficiles ſint, eas nullâ ratione fieri poſſe exiſtiment, eamque unam ob rem, Scripturæ verba alio, quàm proprio & naturali ſenſu, interpretentur. Sapientiùs ſanè de occulto ac religioſo myſterio viri Catholici argumentantur. Cùm enim intelligant rem planè captu difficilem eſſe, non continuò aſſerunt fieri illam nullâ ratione poſſe; ſed æquiſſimum graviſsimumque judicem adeunt, Chriſtum

nempe, qui cum præſentiam in ſacramento apertè ſuam declaret, ejus freti teſtimonio, arduam illam non impoſſibilem, difficilem non incredibilem arbitrantur.

X. Myſterium Dei unius & trini non minùs ſuperat humanæ mentis intelligentiam quàm Euchariſtiæ Sacramentum. Si legitima foret adverſariorum ratiocinatio, ut ad primam repugnantiæ ſpeciem, liceret Doctoribus ſingulis Scripturæ verba, in ſenſum alienum & metaphoricum, detorquere; ſanè Arianus homo, & Servetus ille, qui authore Calvino, Genevæ vivus combuſtus eſt, Trinitatis fidem eâdem omninò ratione convelleret, quâ Calviniani ipſi Euchariſtiæ Sacramentum oppugnant. Si enim opponatur Matthæi locus, *Baptiſate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, & locus alter Joannis epiſtolæ. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*; Reſpondebit illicò Arianus ille ex Calvinianis principiis, voces illas non eſſe ad literam & juxtà uſitatam ſignificationem, intelligendas; ſed ubi aliqua rerum occurrit repugnantia, ad ſenſum allegoricum confugiendum eſſe. Atenim, inquiet Arianus, non minùs iſta videntur inter ſe pugnare, quòd tres Perſonæ

II. Ratio. Quâ probat. Chriſti verba ad literam intelligenda.

Calvin. inſt. l. 1. c. 13. Ait Servetum ſolitum Scripturæ loca metaphorice interpretari.

Si propter myſterii Euchar. difficultates verba Chriſti metaphoricè intelligatur, Hæretici propter eaſdem difficul. ſcrip. loca dé Trinit.

& Incar. metaphorice interpretabuntur. idem planè ſint cum unâ ſimplici & individuâ naturâ, nec tamen ſint una eademque perſona; quàm quòd corpus unum eodem tempore pluribus in locis repente exiſtat, non attrectetur manibus, & in anguſtiſſimum puncti ſpatium coarctetur. Si rerum iſtarum difficultate permotus, homo Calviniane, fas eſſe tibi exiſtimas ad ſenſum metaphoricum Scripturæ verba transferre, cur ob eas, quibus myſterium Trinitatis obſtructum eſt, difficultates, mihi idipſum licere non arbitreris? Hæ ſunt planè anguſtiæ ad quas delabi neceſſe eſt præclaros iſtos divini verbi interpretes.

XI. Verùm ut conſtet omnino, Eccleſiæ Romanæ obtrectatores iiſdem artibus, quibus ejus documenta oppugnant, ſuam ipſorum cauſam jugulare, & Religionis Chriſtianæ, quam profitentur, penitùs fundamenta convellere; exemplum pono in præſtantiſſimo Verbi incarnati myſterio, aſſeroque Doctores Calvinianos divinā Chriſti naturam, Scripturæ verbis, Sociniano, aut Ariano homini perſuaſuros nunquam, dum ipſi, æque perſpicuis Scripturæ verbis, Chriſti ejuſdem in ſacramento præſentiam perſuaderi ſibi non patiuntur.

Digreſſio de fide veteris Eccleſiæ. Atque ut comparatio inſtituatur æquiſſima, ponamus Arianos qui in tribuendâ

Chriſto divinitate, à Catholicis diſcrepant, cum iis de verâ Chriſti in ſacramento præſentiâ conſenſiſſe. Intelligo ſanè huic meæ ſententiæ ab adverſariis reclamatum iri, quòd certiſſimè ſtatuam fidem Chriſti in Euchariſtiâ præſentis, priſcis temporibus, in Eccleſiâ viguiſſe. Verùm omiſſis rationibus aliis ab inſtituto alienis, affero ea ſolùm quæ olim apud Tyrum in causâ Athanaſii geſta ſunt, ex quibus luce clariùs intelligetur Catholicos ſimul & Arianos jam ab initio quarti ſæculi in hanc ſententiam conveniſſe.

circa myſterii Euchar.

XII.

Cùm aliæ multæ calumniæ adverſus Athanaſium in hac Synodo adornatæ ſunt, tum illa inprimis quòd, cùm ſitas in agro Alexandrino paræcias pro poteſtate inſpiceret, ſacram menſam alicubi diſturbaſſet & myſticum poculum confregiſſet. Facinus ita atrox Patribus viſum eſt, ut ex univerſâ Synodo Epiſcopi ſex delecti fuerint, qui in Ægytum profecti rei geſtæ fidem diligenter explorarent. Habitâ ab illis quæſtione, auditiſque dumtaxat calumniatoribus, quos adverſarii appoſuiſſent, Athanaſius Religionis violatæ reus dictus eſt, ſimulque Alexandrinâ ſede ſpoliatus.

Ath. Apol. ad Conſt. Socr. l. 1. c. 28. ποτήριον μυστικον κατέαξε.

Hîc ſanè adeſſe velim animis eos qui de fide Eccleſiæ veteris circa Euchariſtiam

opus, modò obſervantiæ genus quoddam, officiumque urbanitatis evadere. Atque hæc multiplicis adorationis notio, quæ ſequentibus diſſertationibus fuſiùs exponetur, præmittenda fuit huic, de cultu Euchariſtiæ, controverſiæ quæ nobis in præſentiâ excutienda & dirimenda proponitur.

V. Ut autem certum, de cultu Euchariſtiæ debito, Eccleſiæ Catholicæ dogma, primo aditu, ſtatuatur; docet, ejus nomine Concilium Tridentinum, *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſsimo Sacramento in veritate exhibendum.* Reclamant videlicet adverſarii, nervoſque omnes contendunt, ut hujuſmodi cultum oppugnent; at quàm caſſo irritoque conatu, ex iis quæ in nuperis, recentibuſque lucubrationibus opponunt, pronum eſt arbitrari.

Seß. 13. c. 5.

Aïunt primò, Chriſti corpus nequaquam Euchariſtiâ contineri, ac proinde eo loci adorari non poſſe; ſi ſecus fiat, Latriæ cultum uni Deo debitum, non Chriſto, ſed pani, reique creatæ exhiberi.

Argumenta recêtiorum. Proteſtantium contra Euchariſtiæ cultum.

Aïunt ſecundò, quamvis daretur Chriſtum vulgò in Euchariſtiâ præſentem adeſſe, contingere tamen interdum, abeſſe illum ob varios caſus qui ab ipſiſmet Doctoribus Catholicis proponuntur; ſi nempe

Sacerdos non foret rite ſacris initiatus; vel ſi ad altare accederet animo non conficiendi Sacramenti; ſi omitteret aliquod formæ vocabulum; aut materiam nec probam nec idoneam adhiberet. Atenim inquiunt, ſi contingat aliquando Chriſtum non adeſſe præſentem in Sacramento, nunquam licet Sacramentum adorare, ne adeatur idololatriæ periculum, & honor Deo debitus, rei creatæ tribuatur.

Aïunt denique, quamvis certò conſtaret Corpus Chriſti Euchariſtiâ contineri, nefas tamen eſſe illud adorare; cum enim ſpeciebus Euchariſticis occultetur, adorari ſanè non poteſt, niſi ſimul rebus illis creatis, quibus tegitur, cultus hujuſmodi deferatur.

Atque hæ ſunt rationes præcipuæ, & firmiſſima adverſariorum argumenta, quæ quàm inania & levia ſint, planè conſtabit ex tribus aliis pronunciatis quæ ſuperioribus principiis placet opponere.

Primum quidem, hominem Chriſtianum, qui Evangelio velut divino oraculo fidem habet, prudenter poſſe, imò certò debere exiſtimare Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ, ſub ſpeciebus panis & vini, præſentem adeſſe. VI. Tria placita Eccleſiæ Rom. oppoſita ſuperioribus argumentis.

Alterum, poſitâ probatâque Chriſti præ-

ſentiâ in Sacramento Euchariſtiæ, planè conſequi colendum eſſe illum; nec hujuſmodi cultum ullâ ratione idololatriæ obnoxium eſſe, quamvis Chriſtus ipſe intuentium oculis minimè pateat, & ſpeciebus Euchariſticis contegatur.

Tertium denique, Chriſtum, ſi in Euchariſtiâ conſtanter adeſt, itàque homo Chriſtianus prudenter exiſtimat, abſque ullo idololatriæ periculo coli poſſe, licet ex quodam formæ aut materiæ vitio, abeſſe illum, præter opinionem, aliquando contingat.

Hæc tria ſi rectè probavero, dejicientur eâdem operâ machinæ omnes adverſus Euchariſtiæ cultum comparatæ, certóque patebit licere Chriſtianis hominibus abſque ullo idololatriæ periculo, ſacris myſteriis intereſſe.

I. Propoſitio. Chriſtum in Euchariſtia præſentem adeſſe demõſt. Chriſti ipſius verbis. Hoc est corpus meum.

Abſtinerem certè ab iſtâ, de Chriſti præſentiâ in Sacramento, quæſtione pertractandâ, quæ videlicet à Doctoribus Catholicis accuratiſſimè verſata eſt; niſi intelligerem quæſtionem alteram de cultu Euchariſtiæ, cum iſtâ neceſſariò cohærere. Quamobrem rem totam uno conficiam argumento, vulgato illo quidem & ex notiſſimis Chriſti verbis deprompto; at ne ſæpiùs audita ad faſtidium ingerantur, novis

ıovis à me additamentis & obſervatio-
ıibus illuſtrato.

Cum virum aliquem authoritate gra- VII.
'em loquentem audimus, Principem, I. Ratio.
'erbi gratiâ, leges ferentem, vel Do- Quâ prob.
ȝtorem ſuæ ſcholæ placita exponentem, Chriſti
orum verba, ut ſonant, juxtaque vulga- verba ad literam
em ſignificationem intelligenda ſunt, pla- intelligenda.
éque exiſtimandum eo ſenſu ab ipſis eſſe
rolata, ne ſpecie voces dubias ambiguaſ-
ue interpretandi, daretur locus fraudulen-
s hominibus probam integramque do-
rinam adulterandi, legumque vim, ſu-
m ad arbitrium libidinemque, eludendi.
um autem Chriſtus hominum Doctor ac
egiſlator conſtitutus à Deo ſit, qui Reli-
onis Chriſtianæ dogmata, ritus, myſte-
aque ſanciret, par eſt omnino exiſtima-
, in rebus tanti momenti, præſertim in
ıcramentis inſtituendis, adhibuiſſe illum
ɔces minimè obſcuras ambiguaſque; fa-
lem alioqui reliquiſſet aditum ad con-
ellenda Religionis fundamenta, & revo-
ında in dubium quæcumque ipſe homi-
bus imperaſſet.

His præmiſſis, quæ videntur poſita ex- VIII.
ı omnem dubitationem, nunc ad Eu-
ıariſtiam propiùs accedamus. Chriſtus
ominus cum ſanctiſſimum Religionis

Chriſtianæ myſterium inſtituere vellet, unumque è præcipuis Evangelii placitis homines edocere, panem ſumpſit in manus, diviſumque in partes Apoſtolis porrigens, *Accipite*, inquit, *& manducate: Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Viri Catholici, ex ſingulari in ſummum Doctorem & Legiſlatorem fide ac reverentiâ, ejus verba ad literam, ut vocant, hoc eſt, juxta propriam & vulgarē notionem interpretantur, exiſtimantque revera illum corpus ſuum epulandum Apoſtolis præbuiſſe. Adduntque neminem poſſe abſque injuriâ ſuſpicari, Chriſtum, dum conceptis verbis aſſereret tradere ſe convivis ſuum corpus, nihil tamen illis niſi umbram corporis, & meram imaginem porrexiſſe. Quæ ſanè ratiocinatio ita ſibi conſtat, ut fateantur ipſimet adverſarii, Dei loquentis verba abſque ullâ tranſlatione, juxta uſitatam vocum ſignificationem, planè eſſe intelligenda, niſi, ut ſapientiſſimè excipit Auguſtinus, certiſſima ratio & neceſſitas cogat ea in alienum, & metaphoricum ſenſum detorquere.

Quærimus autem ab adverſariis, quâ tandem neceſſitate, & manifeſtâ ratione adducti, ubi agitur de Eucharistiæ Sacramento, à ſenſu literali & uſitatâ verborum ſignifi-

atione recedant, aſſerantque Chriſtum, uamquam apertè dixerit hoc ſuum eſſe orpus, eſſe dumtaxat ſui corporis umram & figuram, ſignificatum voluiſſe? Jimirum aïunt rem illam eſſe captu diffiillimam, & quæ prorſus ſenſibus advertur, ut credatur verum hominis corpus 1 Euchariſtiâ contineri, ubi panis tantùm iſu, guſtatu, tactuque percipitur. Prætea rem illam fieri nulla ratione poſſe, cum Chriſti in Sacramento præſentiâ planè ugnantia conſequantur. Si enim Corpus us panis ſpecie occultatur, ſequitur Corus illud licet materiâ concretum, ſpiritûs idolem imitari; non cadere ſcilicet ſub pectum, extenſione carere, & ad exigui ıncti ſpatium anguſtiaſque compingi. equitur Corpus illud ad ipſam Dei natum omninò accedere, immenſum eſſe & finitum, pluribus in locis, eodem tempre, verſari, & per ampliſſima cæli ac terrum ſpatia longè latéque diffundi. Calvin. inſt. l. 4. c. 17.

IX. Fatemur equidem Euchariſtiæ ſacramenım myſterium eſſe captu difficile, longèe remotum ab humanæ rationis intellintiâ, quæ, ut plurimum, ex ſolo ſenſuum ſtimonio, de rebus exiſtimat, cuique rſuaderi vix poteſt corpus ex materiæ ıole compactum, aciem oculorum effu-

Digitized by Google

gere, extenſione ſpoliari, ſeque pluribus in locis eodem tempore ſiſtere. At pernegamus ſuperare illa Dei vires, atque potentiam, nec contingere interdum poſſe, niſi quod jactant adverſarii, corpus hujuſmodi in mentis alicujus ſimplicis tenuitatem, imò in ipſam Dei naturam continuò transferatur. Viri docti ac ſapientes nihil prorſus ultra Dei vires & efficientiam poſitum eſſe arbitrantur, niſi cum inter ſe pugnantia copulantur, & res aliqua cum ſui ipſius negatione conjungitur. Quamobrem quòd corpus aliquod eo ſitu ſtatuatur, ut nullo ſenſu percipi poſſit, ut partes ejus aliæ ſe in alias induant, & ſimul pluribus in locis exiſtat, aſſerimus quidem res eſſe longiſſimè ab humani ingenii intelligentîâ disjunctas, non tamen inter ſe pugnantes; ac proinde graviter hallucinari illos, qui ex eo quòd res illæ captu difficiles ſint, eas nullâ ratione fieri poſſe exiſtiment, eamque unam ob rem, Scripturæ verba alio, quàm proprio & naturali ſenſu, interpretentur. Sapientiùs ſanè de occulto ac religioſo myſterio viri Catholici argumentantur. Cùm enim intelligant rem planè captu difficilem eſſe, non continuò aſſerunt fieri illam nullâ ratione poſſe; ſed æquiſſimum graviſsimumque judicem adeunt, Chriſtum

nempe, qui cum præſentiam in ſacramento apertè ſuam declaret, ejus freti teſtimonio, arduam illam non impoſſibilem, difficilem non incredibilem arbitrantur.

X. Myſterium Dei unius & trini non minùs ſuperat humanæ mentis intelligentiam quàm Euchariſtiæ Sacramentum. Si legitima foret adverſariorum ratiocinatio, ut ad primam repugnantiæ ſpeciem, liceret Doctoribus ſingulis Scripturæ verba, in ſenſum alienum & metaphoricum, detorquere; ſanè Arianus homo, & Servetus ille, qui authore Calvino, Genevæ vivus combuſtus eſt, Trinitatis fidem eâdem omninò ratione convelleret, quâ Calviniani ipſi Euchariſtiæ Sacramentum oppugnant. Si enim opponatur Matthæi locus, *Baptiſate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, & locus alter Joannis epiſtolæ. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*; Reſpondebit illicò Arianus ille ex Calvinianis principiis, voces illas non eſſe ad literam & juxtà uſitatam ſignificationem, intelligendas; ſed ubi aliqua rerum occurrit repugnantia, ad ſenſum allegoricum confugiendum eſſe. Atenim, inquiet Arianus, non minùs iſta videntur inter ſe pugnare, quòd tres Perſonæ

11. Ratio. Quâ probat. Chriſti verba ad literam intelligenda.

Calvin. inſt. l. 1. c. 13. Ait Servetum ſolitum Scripturæ loca metaphorice interpretari.

Si propter myſterii Euchar. difficultates verba Chriſti metaphoricè intelligātur, Hæretici propter eaſdem difficul. ſcrip. loca de Trinit.

& Incar. metaphorice interpretabuntur. idem planè ſint cum unâ ſimplici & individuâ naturâ, nec tamen ſint una eademque perſona; quàm quòd corpus unum eodem tempore pluribus in locis repente exiſtat, non attrectetur manibus, & in anguſtiſſimum puncti ſpatium coarctetur. Si rerum iſtarum difficultate permotus, homo Calviniane, fas eſſe tibi exiſtimas ad ſenſum metaphoricum Scripturæ verba transferre, cur ob eas, quibus myſterium Trinitatis obſtructum eſt, difficultates, mihi idipſum licere non arbitreris? Hæ ſunt planè anguſtiæ ad quas delabi neceſſe eſt præclaros iſtos divini verbi interpretes.

XI. Verùm ut conſtet omnino, Eccleſiæ Romanæ obtrectatores iiſdem artibus, quibus ejus documenta oppugnant, ſuam ipſorum cauſam jugulare, & Religionis Chriſtianæ, quam profitentur, penitùs fundamenta convellere; exemplum pono in præſtantiſſimo Verbi incarnati myſterio, aſſeroque Doctores Calvinianos divinā Chriſti naturam, Scripturæ verbis, Sociniano, aut Ariano homini perſuaſuros nunquam, dum ipſi, æque perſpicuis Scripturæ verbis, Chriſti ejuſdem in ſacramento præſentiam perſuaderi ſibi non patiuntur.

Digreſſio de fide veteris Eccleſiæ

Atque ut comparatio inſtituatur æquiſſima, ponamus Arianos qui in tribuendâ

Chriſto divinitate, à Catholicis diſcrepant, cum iis de verâ Chriſti in ſacramento præſentiâ conſenſiſſe. Intelligo ſanè huic meæ ſententiæ ab adverſariis reclamatum iri, quòd certiſſimè ſtatuam fidem Chriſti in Euchariſtiâ præſentis, priſcis temporibus, in Eccleſiâ viguiſſe. Verùm omiſſis rationibus aliis ab inſtituto alienis, affero ea ſolùm quæ olim apud Tyrum in causâ Athanaſii geſta ſunt, ex quibus luce clariùs intelligetur Catholicos ſimul & Arianos jam ab initio quarti ſæculi in hanc ſententiam conveniſſe. circa myſterii Euchar.

XII.

Cùm aliæ multæ calumniæ adverſus Athanaſium in hac Synodo adornatæ ſunt, tum illa inprimis quòd, cùm ſitas in agro Alexandrino paræcias pro poteſtate inſpiceret, ſacram menſam alicubi diſturbaſſet & myſticum poculum confregiſſet. Facinus ita atrox Patribus viſum eſt, ut ex univerſâ Synodo Epiſcopi ſex delecti fuerint, qui in Ægytum profecti rei geſtæ fidem diligenter explorarent. Habitâ ab illis quæſtione, auditiſque dumtaxat calumniatoribus, quos adverſarii appoſuiſſent, Athanaſius Religionis violatæ reus dictus eſt, ſimulque Alexandrinâ ſede ſpoliatus. Ath. Apol. ad Conſt. Socr. l. 1. c. 28. ποτήριον μύστικον κατέαξε.

Hîc ſanè adeſſe velim animis eos qui de fide Eccleſiæ veteris circa Euchariſtiam

ambigunt, atque hæc apud ſe æquis animis reputare. Si non alia quàm vulgaris menſa in ſacris myſteriis adhibetur, nec niſi merum vinum è poculo propinatur, ut in Calvinianorum ſynaxibus viſitur, quis ſanæ mentis homo adducatur ut credat, hujuſmodi menſam everſam, & poculum hujuſmodi fractum, aut effuſum tot tantaſque tragædias excitaſſe, ut ob eam rem fuerit numeroſa Synodus convocanda, adducendus in judicium nobiliſſimus inter Orientis Antiſtites Patriarcha, & ampliſſima ſex Epiſcoporum legatio è Syriâ in Ægyptum, tam longo locorum ac marium intervallo, decernenda? Ex iis nempe intelligitur viguiſſe illam in animis Priſcorum Patrum opinionem, in Altaris ſacramento ſanctiùs aliquid auguſtiuſque pane ac vino, Chriſti videlicet Corpus & Sanguinem occultari, adeóque læſæ Religionis, ac ſacrilegii reos habitos qui ſacra illa myſteria violaſſent.

Aïo igitur ex eo uno facto pronum eſſe conjicere quid primis illis Eccleſiæ temporibus chriſtianus Orbis de Euchariſtiæ ſacramento ſentiret, cujus fides adeo omnium mentes pervaſerat, ut vel ipſi Chriſti hoſtes eam conſtantiſſimè retinerent.

XIII. At quæcumque tandem fuerit Arianorum ſententia de Euchariſtiæ Sacramento,

nihil

ıihil propemodùm ſpectat ad inſtitutum
.oſtrum. Ponamus dumtaxat negaſſe illos
ivinam in Chriſto naturam, & unum ali-
|uem è Doctoribus Calvınianis vires in-
;enii ſtudiumque omne conferre, ut So-
inianum quempiam, aut Arianum hac
tate ſuperſtitem, à pravâ illâ opinione de-
ucat. Aſſeret primò Scripturæ loca quæ
:hriſto tribuunt Divinitatem, adeò eſſe
lana atque perſpicua, ut homini Chriſtia-
o nefas ſit hujus rei veritatem in dubium
:vocare. Nihil clariùs verbis illis Joannis:
'eus erat Verbum. Ego & Pater unum ſu- Io. 10.
'us. Pater in me eſt, & ego in Patre. Aliá-
ue hujuſmodi, quibus apertè ſignificatur
hriſtum verum eſſe Dei Filium, à Patre
rocedere, & ante temporum originem
ɛtitiſſe.

Fatebitur ultrò Arianus ille loca hæc
.nnia planè è divinis libris eſſe deprompta,
:rùm addet illa metaphoram continere,
:que eſſe proprio & naturali ſenſu intelli-
:nda. Chriſtum verbis æquè illuſtribus, ſu-
n, tum divinitatē tum in Sacramento præ-
ntiam affirmare: cùm tamen Calviniani
ca illa quæ denotant præſentiā Chriſti in
ıcramento, ad ſenſum allegoricum tranſ-
rant, exiſtimentque voces illas, *Hoc eſt
rpus meum*, idem prorſus indicare ac iſtas

Digitized by Google

hæc eſt figura corporis mei : cur non pariter Arianis liceat loca alia, quæ Chriſto tribuunt divinitatem, eâdem ratione interpretari, atque aſſerere voces iſtas, *Deus erat Verbum, hic eſt Filius Dei*, ſignificare dumtaxat Verbum eſſe Dei imaginem, Filium eſſe effigiem, figuram, opus Dei ſummi rerum artificis & effectoris?

XIV. Reſpondebit, opinor, Doctor Calvinianus non licere paſſim Chriſtianis hominibus, nec niſi gravis aliqua neceſſitas cogat, à proprio & uſitato Scripturæ ſenſu recedere; hanc autem neceſſitatem imponi Calvinianis, circa myſterium Eucharistiæ; tum ut occurrant crebris difficultatibus, quibus præſentia Chriſti obſtruitur, tum ut fidem habeant locis aliis, quibus manifeſtè indicari videtur Chriſtum à Sacramento abeſſe. Occurret Arianus ille contenderque, hujuſmodi reſponſione, cauſam ſibi palmamque concedi; neque enim fas eſſe Calvinianis fidem abs ſe Chriſti divinitatis exigere, dum ipſi Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem eſſe inficiantur. Eadem quippè videtur tum locorum Scripturæ, tum myſterii utriuſque repugnantia.

Agite, inquiet, Calviniani dogmatis defenſores, fugit vim intelligendi veſtram, quòd panis & vinum in Euchariſtiâ deſtru-

Digitized by Google

antur, eorumque accidentia nullo ſubjec-
:o innixa conſiſtant; quòd Chriſti Corpus
ſuaptè naturâ certis terminis circumſcrip-
:um, eodem tempore in cœlis, & in pluri-
ous terrarum locis exiſtat; quòd idem cor-
ous quamquam immortalitate donatum,
:x materia tamen compactum, nec viſu,
nec ſenſu alio percipi poſsit, & arctiſsimo
ouncti unius ſpatio definiatur. Atque iſta-
um rerum difficultate permoti fieri non
oſſe exiſtimatis, ut Chriſti Corpus verè
peciebus Euchariſticis contegatur, adeó-
que mollienda cenſetis ejus verba, & ad
ræſentiam non veram ſed adumbratam
eferenda. Additis inſuper, cùm uno aut al-
:ro dumtaxat Evangeliorum loco probe-
ır eſſe Chriſti Corpus in Euchariſtiâ, plu-
bus certè, iiſque illuſtrioribus apertè ſig-
ificari nil niſi panem & vinum inibi con-
neri, ac proindè æquum eſſe, ut locus ille
nus aut alter ad ſenſum aliorum expli-
:tur.

Enimverò, inſtabit Arianus, liceat ex XV.
obis ſciſcitari an non veſtrum quoque
ıptum effugiat, quòd homo ille, cujus or-
ım & varia ætatis incrementa teſtes innu-
ıeri ſuis oculis perſpexere, æternus ſit,
eoque coævus? Quòd filio cuipiam com-
ıunis ſit non ſimilis modò, ſed una ea-

demque omninò cum Patre natura; nec tamen inde conſequatur Filium & Patrem unam eſſe eandemque perſonam? Nobis ſanè iſta videntur non minùs habere difficultatis, quàm quæ in Euchariſtiæ Sacramẽto occurrunt: cumque eam ob rem fas vobis eſſe cenſeatis Chriſti verba: *Hoc eſt Corpus meum*, velut metaphoricè dicta interpretari; facit eadem rerum difficultas, ut verba illa Joannis. *Hic eſt Filius Dei. Deus erat*
Io. 1. 34. *Verbum. Ego & Pater unum ſumus*, Nos
Ioa. 10. 31. pariter ad ſenſum allegoricum revocemus.

Quæro ulteriùs, num loca illa quæ videntur detrahere ſuam Chriſto Divinitatem, obſcuriora ſint quàm quæ ejus in Sacramento præſentiæ videntur adverſari? Si enim contenditis uno certè in loco haberi voces iſtas: *Hoc eſt Corpus meum*, at pluribus in locis iterari voces alias, *Panis quem*
1. Cor. 10. 16. *ego dabo: quicumque manducaverit ex hoc*
1. Cor. 11. 27. *pane: ſic de pane illo edat.* Aſſerimus nos quoque uno quidem in loco affirmari. *Ego & Pater unum ſumus*: Sed in pluribus aliis
Ioa. 14. 28. frequenter haberi: *Pater major me eſt; mi-*
Io. 15. 4. *ſit me Pater: Ego patris mei mandata ſervavi.* Ei autem loco ubi dicitur: *Deus erat Verbum*, alia multa opponimus, ubi Verbum Divinæ ſapientiæ nomine adumbra-

tum, ***Creator***, inquit, ***omnium creavit me*** : *ante ſæcula creata ſum.* Atenim in nos acriter conclamatis cum loca illa, ex quibus argui poteſt Verbum rem eſſe creatam, Filium patri inferiorem eſſe; cum, inquam, loca illa adducimus ad explananda alia, quæ eidem Verbo tribuunt Divinitatem: interim dum vos loca illa quibus videtur ſtatui merum panem in Euchariſtiâ contineri, adhibetis, ultrò ad afferendam lucē verbis quibus Chriſtus aſſerit ſuum ſe ſanginem in potum, & carnem præbere in cibum. Agite itaque Calvini Alumni, de re totâ æquis animis judicate, & docete, amabò, quâ tandem lege aſtrictos nos exiſtimetis, ut literali verborum ſenſui, quæ Chriſto tribuunt Divinitatem, religiosè inhæreamus; dum vos à literali ſenſu verborum, quibus eundem Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem eſſe ſancitur, nullâ verecundiâ nullâque religione diſceditis.

Eccl. 12. 24.

Ioa. 6. 54.

Atque illa eſt Arianorum argumentatio, quæ cùm ipſiſſimet Calvinianorum principiis innitatur, quâ demùm ratione ab iis redargui poſſit, ego planè non video?

XVI.

Verùm ut intelligatur ſolam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam conſtare ſibi, iiſdemque principiis adverſarios ejus omnes tum Arianos tum Calvinianos oppugnari, ex

III. Ratio Quâ prob. Chriſti verba ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

literam intellig. ponendũ eſt modò quandonam Scripturæ loca ad verbum ſive ad literam, ut aiunt, intelligenda ſunt, quandonam liceat illa metaphoricè interpretari. Atque hinc exiſtet nova ratio, quâ verborum iſtorum: *Hoc eſt Corpus meum*: propria & naturalis ſignificatio ſuadeatur.

Cum non apparet contradict. inter ſubject. & attribut. verba ad lit. ſunt intelligenda. Principio lex illa certiſsimè ſtatuenda eſt, in omni propoſitione in quâ ſubjectum & attributum ſunt una & eadem res, propoſitio ad verbum, ſive ad literam intelligenda eſt. Cum autem ſubjectum & attributum unâ eâdemque naturâ conſtare nequeunt, & tanta inter utrumque videtur repugnantia, ut ex eorum conjunctione, ſeu identitate neceſſariò conſequatur rem unam aliquam ſimul exiſtere & non exiſtere, tunc ſanè tropo utendum eſt, & oratio hujuſmodi metaphorico & tranſlatitio ſenſu explicanda. Verbi gratiâ, orationes iſtæ *Deus eſt Spiritus*, *Homo eſt rationalis*, ad verbum omninò accipiendæ ſunt, propterеà quòd Deus reipſa, eſt natura intelligens & natura hominis eſt verè rationalis. At cum ab uno è Prophetis, *Deus* dicitur *Leo* Amos 1. *rugiens*, & à Platone, *Homo* dicitur *arbor inverſa*; propoſitiones illæ nequaquam ſunt ad verbum intelligendæ, cùm earum ſubjectum & attributum in unam eandem-

que naturam convenire non poſsint. Neque enim Deo natura leonis, neque arbori natura hominis ineſſe poteſt, niſi certiſſima inducatur repugnantia, quæ ut declinetur, neceſſe planè eſt voces illas ad ſenſum metaphoricum revocare.

Hac lege primùm conſtitutâ, ut intelligatur quam in ſententiam Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, propriam, an tranſlatitiam accipienda ſint, obſervare juvat an orationis illius ſubjectum & attributum una eademque res eſſe poſsint; ſi non poſſint, ad ſenſum metaphoricum confugiendum eſſe; ſi poſsint, cur non liceat propriam & uſitatam verborum ſignificationem adhibere? Cur non credamus effeciſſe Deum quod à ſe factum ipſe teſtatur, quodque peritorum judicio, repugnantiam planè nullam inducit? Enimverò nulla omninò videtur repugnantia, quòd iſtius orationis, *Hoc eſt Corpus meum*, ſubjectum & attributum ſint una eademque res. Quòd ut faciliùs ſuadeatur, ſtatuendum eſt ſolenne illud ſcholarum omnium effatum, [cujuſlibet propoſitionis ſubjectum præciſum remanere; hoc eſt, ancipitem eſſe dubiamque ejus ſignificationem, donec attributo accedente, ad unum aliquod rerum genus contrahatur] Alioqui aut falſa XVII.

eſſet oratio , aut vitioſam repetitionem contineret.

Quamobrem cùm Chriſtus olim aiebat, aut cum Sacerdos etiam nunc ejus nomine aſſerit: *Hoc eſt corpus meum*, vocabulum *Hoc* præciſum remanet, nullumque corpus ſingulare ſubſtantiamque deſignat. Neque enim deſignat panem, quem Chriſtus habebat præ manibus, ſiquidem falſum eſt panem cum Chriſti corpore eſſe unam eandemque ſubſtantiam: non deſignat etiam ſpecies & accidentia, quibus Chriſtus tegitur, cum pariter non minùs aberret à vero, hujuſmodi accidentia idem eſſe ac Corpus & Sanguinem Chriſti; conſtet ergo voce, *Hoc*, ſubſtantiam aliquam generatim, poſterioribus autem vocibus, ſingularem Corpòris Chriſti ſubſtantiam indicari. Quæ omnia potiſſimùm dicta velim de orationibus illis quæ ſuum efficiunt objectum, quales ſunt formulæ Sacramentorum, in quibus primæ partis ſive ſubjecti vera germanaque ſententia, nonniſi abſolutâ oratione, percipitur. Percontari itaque liceat ab adverſariis noſtris quæ major illis repugnantia videatur, dum propoſitio iſta: *Hoc eſt corpus meum*, eo ſenſu exponitur (ſubſtantia quæ tegitur his accidentibus eſt Corpus meum) quæ inquam major re-

pugnan-

Digitized by Google

pugnantia, quàm cùm propoſitiones aliæ ſingulares (*Hoc eſt vinum. Hic eſt homo*) eo quoque ſenſu efferuntur; ſubſtantia quæ hoc poculo continetur, eſt vinum; animal quod his veſtibus tegitur, homo eſt.

Hîc verò audire mihi videor unum aliquem è Doctoribus Calvinianis acriter contendentem orationis hujus, *Hoc eſt Corpus meum*, veram germanamque ſententiam incredibilem eſſe, & manifeſtam inducere repugnantiam; cum repugnet ſenſibus, & à ratione planè abhorreat Chriſti Corpus pluribus in locis ſimul exiſtere, & ad breviſſimū puncti ſpatium contrahi. Verùm quod bonâ Doctorum iſtorū veniâ dictum velim, non agitur hîc an pugnent inter ſe, aut pugnare videantur quæ ex Chriſti in Sacramento præſentiâ deducuntur; ſed an conjunctio iſtius ſubjecti & attributi, *Hoc eſt Corpus meum*, exhibeat aliquam repugnantiam, qualem ſtatim exhibet oratio iſta, *Hic panis eſt Corpus meum*. Quâ in re duo planè contendo. Unum eſt, in propoſitione iſtâ: *Hoc eſt Corpus meum*, quâ modò dicebam ratione, explicatâ (ſubſtantia, quæ tegitur his accidentibus, eſt Corpus meum) nullam omninò repugnantiam deprehendi. Alterum, cùm in aliquâ Dei loquentis oratione nulla apparet repugnantia, ſuadet XVIII.

Digitized by Google

eximia in eum fides & reverentia,ut hujuſmodi orationem ad verbum accipiamus: tum ſi quæ occurrat difficultas, ſi quæ ratiocinando videatur conſequi repugnantia, ſolvenda illa eſt Dei loquentis authoritate, prorſúſque exiſtimandum vitioſam eſſe ratiocinationem illam, quâ videlicet, ex ſapientiſſimis Dei verbis,pugnantia deducuntur. Hanc certè Chriſtiani omnes rationem ſedulò inimus, ut Trinitatis, Incarnationis, & Reſurrectionis myſteria tueamur, cur non pariter illi in causâ Euchariſtiæ, inſiſtamus?

XIX. Atque ex eo patet adverſariorum hallucinatio, qui hæc Catholicis crebrò ingerunt. Si illa Chriſti oratio, *Hoc eſt Corpus meum*, ad verbum acciperetur, aliæ item ejus orationes, *ego ſum vitis*: *ego ſum oſtium*: *ego ſum lux mundi*, quod nemo prudens dixerit, ad verbum intelligendæ forent. Hoc enim pacto ſtatuitur certa ratio cur neceſſe ſit poſteriores illas formulas, non primam, ad ſenſum metaphoricum detorquere.

Cùm ex verâ propoſitionis cujuſpiam ſignificatione,manifeſta oritur repugnantia, nec fieri ullatenus poteſt,ut ſubjectum,& attributum conſtent unâ eâdemque naturâ, par eſt omnino voces illas alieno & meta-

Digitized by Google

phorico ſenſu interpretari. Atenim Chriſto Deo & homini ſeu vitis, ſeu Leonis, & Agni, naturã ineſſe, rationi penitus adverſatur; unde neceſſariò exiſtit ut hæc omnia ſint ad metaphoram & meram ſimilitudinem referenda. Verùm in connexione vocum iſtarum, *Hoc eſt corpus meum*, non major apparet repugnantia, quàm in illis, *hoc eſt vinum*, *hic eſt homo*, in quibus vagum & latè patens ſubſtantiæ nomen ad ſubſtantiam ſingularem contrahitur; ac proinde nihil cogit omnino ad veram rei intelligentiam, metaphoram & tropum accerſere. Abſtineo à rationibus aliis, quibus Chriſti in Sacramento præſentia ſuadetur. Et hanc unam ſaltem perſtringere breviter placuit, quòd fides Chriſti præſentiæ, adorationi præmittenda ſit, & præſentiam adoratio conſequatur.

Intelligo quidem argumẽtationem hanc noſtram adverſariis non probari, qui jactant conſectarium iſtud à nobis quidem pro certo habitum, at nuſquam validis rationibus confirmatum. Fateor ego contrà, ſapientiſſimè Doctores catholicos aſſeverare Chriſti adorationem cum ejus in Sacramento præſentiâ connexam. Et verò perquàm difficilem ac moroſum oportet eſſe illum qui negaverit, poſitâ probatâque pa-

nis in Corpus Chriſti mutatione ejuſque in Sacramento præſentiâ, adorationis officium rite deduci. Hoc tamen acriter contendebant nuperi authores Calviniani, ſed quàm caſſo irritoquè conatu, liquidò patebit expoſitione alterius pronuntiati ſuperiùs præmiſſi, in quo aſſerebam poſitâ conceſsâque Chriſti in Sacramento præſentiâ, debitum illi planè adorationis officium; cultumque hujuſmodi nec vel minimâ idololatriæ ſuſpicione laborare, quamvis Christus qui colitur, non cernatur oculis, & ſpeciebus Euchariſticis contegatur.

Iuriæus præſerv. n. 4.

XX. II. PROPOSITIO.

Poſitâ Chriſti præſentiâ in Sacram. Euchar. ſequitur illũ eſſe colendũ, quamvis ſpeciebus contegatur.

Hujus Aſſertionis ratio potiſſima petitur à juſtitiâ & pietate, quæ ſanè monent ut homines dignitate, aut virtute præſtantes ſingulari honore, abſentes quidem amore ac veneratione animi, præſentes verò animi ſimul & corporis reverentiâ proſequamur. Quamobrem Chriſto Deo & homini verus Latriæ cultus, qui ad Deum pertinet, exhibendus eſt; cumque præſentem illum adeſſe credimus, eâ utique adoratione coli debet quæ Latriæ ſpecies eſt, & ſummæ ejus præſtantiæ, ſimulque noſtræ teſtificatio ſervitutis. Puer benè moratus, qui ſe patris in conſpectum offert, venerabundus accedit, & prolixam illi ſalutationem impertit; nec, ſi maximè oculis or-

Digitized by Google

batus eſſet, ejus incuriam cæcitas excuſaret, eximeretque ab iſto urbanitatis & pietatis officio. Quamquam parentem oculis cernere nequeat, dummodò adeſſe illum certò exiſtimet, tenetur colere illum & obſervare; ſi ſecùs faciat, jus eſto parenti in illum pro poteſtate animadvertere. Quod de filio familias dico, de ſubdito Regi adſtante dictum velim. Tum ſic ad rem noſtram exemplum utrumque converto.

Cùm prudenter opinaris adſtare te parenti aut domino, ſanctiſſimis pietatis, ac juſtitiæ legibus obſtrictum te fateris, ut eos honore debito proſequaris: mihi verò, qui cum omnibus Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus & ſapientibus viris, adeóque prudenter certóque exiſtimem, Chriſtum vitæ & ſalutis meæ arbitrum ac moderatorem ſub ſpeciebus Euchariſticis præſentem adeſſe, debitâ reverentiâ colere, nefas eſſe arbitraris? Licebit ſcilicet cuipiam patrem aut dominum propè adſtantes, quos non cernit oculis, colere ac venerari; & Chriſtiano homini vitio dabitur, quòd Deum ac Dominum veneretur, quem præſentem quidem non intuetur, at præſentem credit, & ita credit, ut nonniſi poſitâ conceſſâque ejus in Sacramento præſentiâ, de cultu ipſi debito nunc cum adverſariis XXI.

Digitized by Google

contendamus? Quâ in re Doctorum Calvinianorum confidentiam, ſatis ego quidem mirari non poſſum, qui negant fas eſſe ei qui Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem exiſtimat, ullam ipſi venerationem cultumque deferre; quique Catholicos Doctores invidiosè exagitant, quòd docuerint hactenùs hujuſmodi cultum ipsâ Chriſti præſentiâ continuò ſuaderi. Quod ab illis quidem crediderim, ſubtiliùs pro tempore dictum eſſe quàm veriùs.

Intelligebant enim Doctores Catholicos ab annis ferè quinquaginta objicere illis conſtanter ſolitos, conditum in Synodo Charentonianâ decretum, in gratiam Lutheranorum, quo ſtatuebatur, *Dogma de Chriſto in Euchariſtiâ præſente, nullo veneno imbutum eſſe, nec Religionis Chriſtianæ fundamenta convellere.* Cùm autem ſolenne decretum & veluti germanam conciliati, Lutheranos inter & Calvinianos, fœderis teſſeram abrogare non auderent; & eo tamen decreto Eccleſiæ Romanæ cauſa præjudicata à ſe, probataque videretur, ut eo ſe negotio expedirent, effugium tale commenti ſunt.

an. 1632. Auctoritas Synodi Calvinianæ contra ipſos retorquetur.

XXII. „Nempe aſſerunt inter Chriſti præſentiam, quam Lutherani & quam Catholici defendunt, maximum intereſſe diſcri-

Pref. art. II.

„ men ; & Lutheranæ quidem præſentiæ
„ adorationem non eſſe adjunctam, nec eâ
„ moveri homines, ut divinos honores re-
„ bus creatis exhibeant: Eâ autem, quam
„ Catholici tuentur, præſentiâ, genus il-
„ lud prophani cultûs ac nefariæ ſuperſti-
„ tionis induci. Lutheranorum ſententiam
„ eſſe merè ſpeculativam, quæ neque Re-
„ ligionis mores, neque cultum immutet:
„ at Eccleſiæ Romanæ ſententiam practi-
„ cam eſſe, quæ rei creatæ adorationem
„ decernat, ritum videlicet qui Religionis
„ Chriſtianæ ſanctitati fideique, omnium
„ maximè, adverſatur.

En, quo tandẽ effugio, adverſarii vim argumentationis noſtræ declinare conati ſunt, parùm illo quidẽ viris Theologis conſentaneo, nec eorũ cauſæ plurimùm opportuno. Si enim in dogmate realis præſentiæ quod à Lutheranis defenditur, nihil vitii ſuſpicantur; in adoratione, quæ inde conſequitur, quid, amabo, vitii deprehendant? Si fas eſt Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem exiſtimare, quod nefas eſt præſenti reverentiam exhibere? Si certò ſtatuatur ad Templorum noſtrorum aras, eundem illum Chriſtum adeſſe, qui virgineo olim partu editus in præſepio jacebat, cur non liceat nobis in altari, quem magis licuit vili in tu-

Digitized by Google

gurio venerari? Si ſua Magis erga Chriſti obſervantia laudi ac Religioni tribuitur, cur noſtra erga illum reverentia idololatriæ nobis crimini tribuatur? Demùm ſi Chriſtiano homini fas eſt ſuarum in ædium penetralibus, Chriſtum procul in cœlo poſitum flexis genibus adorare, cur non liceat illum propiùs nobis ad aras adſtantē eodem corporis ſitu colere ac revereri?

XXIII. Opponent videlicet Doctores Calviniani, magiſtri veſtigiis inſiſtentes, nefas omninò Chriſtum etiam maximè præſentem in Euchariſtiâ adorare, tum quia Spiritûs inſtar fugit oculos; tum quia illum adorationis ritum nullibi præcipit; tum quia Corpus ſuum in Sacramento comedendum non adorandum apponit.

Inſt. l. 4. c. 17. §. 35.

Verùm placet ab iis ſciſcitari num cæcus ille qui in viâ Hiericuntinâ ſedebat ad ſtipem, vel leviſſimam idololatriæ notam ſubiiſſet, ſi Chriſtum prætereuntem adoraſſet; & adoraſſe reverà pronum eſt arbitrari, cum ab eo lucis & oculorum uſuram infimis precibus flagitaret? Atenim Chriſtum non cernebat oculis, neque verò illum abſque inſigni miraculo magis videre poterat, quàm à nobis in Euchariſtiâ videatur. Chriſtus eâ incedebat viâ ut Hiericuntem peteret, non ut hominem illum

Luc. 18. 35.

ad

ad ſui venerationem invitaret; neque illi magis hujuſmodi cultum imperaverat quàm cæco alteri jam à puero oculis orbato, qui tamen viſu recepto, de ſingulari beneficio gratias acturus ad ejus pedes ſe pronus abjecit?

Quamobrem ubi certò conſtitutum fuerit illud ipſum Chriſti Corpus in altari proponi, quod Magi olim, Apoſtoli, & ægroti quàm plurimi in priſtinam ſanitatatem reſtituti adoravere; fruſtrà expectetur novum de eo adorando imperium; cùm ejus præſentiâ & dignitate, debiti ipſi obſequii, ac reverentiæ, protinùs admoneamur. Itaque Calviniani recentiores iſtis priſcorum magiſtrorum rationibus meritò diffidentes, novas excogitarunt, quas à Doctoribus Catholicis ſolvi nequaquam poſſe, ſanè confidentiùs opinantur.

Aiunt igitur Catholicos, quamvis à Lutheranis diſſentiant, quòd illi aſſerant panem in Sacramento remanere; ipſi verò mutari illum in Chriſti Corpus planè contendant, fateri tamen, amotâ panis ſubſtantiâ, ejus ſpecies miraculo retineri. „ Atenim hujuſmodi ſpecies, cum nihil " „ ſint aliud quàm color, ſapor, figura, & " „ gravitas panis, videntur illæ quidem in " „ rerum creatarum numero reponendæ. " XXIV. I. Objectio recent. Calvin. contra adorationem Chriſti ſub ſpeciebus Euchar. Præſerv. a. 11.

Digitized by Google

„ Cùm autem eas Chriſti corpus permeet, “
„ & ab iis viciſſim tegatur & ambiatur, “
„ non poteſt corpus ſanctiſſimum adora- “
„ ri, niſi ſpeciebus illis, adeóque rebus “
„ creatis idem adorationis cultus defera- “
„ tur. Accedit autoritas Concilii Triden-
„ tini aſſerentis, ***nullum relinqui dubitandi***
„ ***locum quin omnes Chriſti fideles, pro more***
„ ***in Eccleſia Catholicâ ſemper recepto, La-***
„ ***triæ cultum, qui verò Deo debetur, huic***
„ ***ſanctiſsimo Sacramento, in veritate, exhi-***
„ ***beant.*** Atenim ſacramentum duo conti-
„ net, ſpecies nempe panis & vini aſpecta-
„ biles quidem atque tractabiles, & carnem
„ ac Sanguinẽ Chtiſti, quæ nec tactu nec aſ-
„ pectu ſentiuntur. Cùm itaque integrum
„ Sacramentum adoretur, neceſſe eſt ado-
„ rationis honorem ſpeciebus illis & acci-
„ dentibus impertiri.

Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 5.

Viri equidem Docti hujus argumentationis vitium nullo negotio deprehendent; ut enim rectè concluderetur, ſic erat inſtituenda. Accidentia ſive ſpecies Euchariſticæ res creatæ ſunt: At Catholici illas ſpecies adorant: adorant igitur res creatas. Verùm ſic placuit ratiocinari. Species Euchariſticæ ſunt res creatæ: Atenim Catholici intra ſpecies illas venerantur Chriſtum, igitur res creatas venerantur. Patet contortulam

eſſe concluſionem illam quæ ſic erat deducenda : Chriſtum igitur Catholici in rebus creatis venerantur. Cujus ſanè concluſionis alia eſt, longéque diverſa ſententia. Verùm, ut ut eſt de adverſariorum ratiocinatione, ipſum controverſiæ caput aggredior, oſtendoque, quamvis ſpecies Euchariſticæ accidentia creata ſint, fas eſſe Chriſtum intra illas ſpecies venerari ; ac venerationem hujuſmodi non idololatriã, ſed veræ Religionis cultum exiſtere. Quâ ratione patebit illicò vitium hujus argumentationis: Eccleſia Catholica Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis veneratur ; creatis igitur rebus cultum Latriæ exhibet: rea eſt igitur idololatriæ. Si enim fas eſt Chriſtum intra ſpecies Euchariſticas adorare, hinc manifeſtò conſequitur vel non adorari ſpecies, vel illum adorationis ritum Evangelicæ morum doctrinæ, & Fidei Chriſtianæ integritati nullatenùs adverſari.

Aio itaque Chriſtum Dominum, ubicumque adeſt, ac proinde in Euchariſtiâ ubi præſens exiſtimatur, à Chriſtianis omnibus adorandum. Ità planè definitum à ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus, Auguſtino, & aliis quorum teſtimonia inferiùs adducemus. XXIV.

Et verò, ſi ſpecies quibus Chriſtus te- I.

Digitized by Google

XXVI. Variis Scrip. Exéplis prob. Deum in rebus creatis, & Chriſtū intra ſpecies adorari poſſe.

gitur obſtarent, quominùs ille à nobis in Sacramento coleretur, vel ideò certè quia illum noſtro conſpectui ſubtrahunt, vel quia periculum eſſet, nè idem cultus creatis ſimul accidentibus deferretur. Atenim nihil horum prohibet, quominùs Chriſtum in Euchariſtiâ honore debito proſequamur. Cùm Hebræis olim perſuaſum eſſet Deum Optimum Maximum ſuo in templo, ac Tabernaculo, & Arcâ fœderis habitare; coram auguſtiſſimo ſacrario, poſitis genibus, aut fuſis humi corporibus ſupplices procumbebant. Quod tamen, ut obſervat S. Athanaſius, fieri nequaquam poterat, niſi Arcæ, & Tabernaculo, & extantibus ad Arcæ latera, Cherubinorũ ſimulachris eandem reverentiam exhiberent. Eum tamen religionis cultum, qui ſcilicet Deo autore exercebatur, nemo ſanus idololatriæ labe maculâve notaverit. Præterea Deum ipſum, in monte Sinaï cum Moſe collocuturum, *pronus in terram* Vir ſanctiſſimus adoravit; quamvis denſâ obſeptum nubis caligine non poſſet oculis intueri.

Athan. Epiſt. ad Adelph.

Exod. 34

XXVII. Rogo igitur, quamobrem homini Chriſtiano gravius piaculum fuerit, divinum numen intra ſpecies Euchariſticas, quàm priſcis Hebræis intra Arcæ & Sanctuarii penetralia venerari? Et Deo ſanè conditori

Digitized by Google

non minor hâc noſtrâ, quàm Patriarcharum ætate, reverentia debetur; neque nos minus certò illum in Euchariſtiâ, quàm Hebræi veteres in Arcâ & Sanctuario, præſentem exiſtimamus. Non magis iis in locis, quàm nunc in myſteriis noſtris, populorum conſpectui patebat; nubeſque ipſa & Tabernaculi velum, inter eum & intuentium oculos interjecta, majoris erant molis quàm tenuiſſimæ ſpecies quibus in Sacramento contegitur. Quæro itaque quâ ratione fiebat, ut exhibita Deo à Moſe, Aarone, Samuële, & Davide, pietatis ac venerationis officia, per media Arcæ ac Tabernaculi clauſtra atque repagula, ad ipſum facillimè deferrenrur; noſtra verò non poſſint tenuiſſimas ac ſubtiliſſimas ſpecies quibus ille in Sacramento obducitur, abſque idololatriæ periculo permeare? Rem abſque ambage & metaphorâ dico: Cur viris ſanctiſſimis Deum adoraturis liceret coram Arcà, Propitiatorio, & Cherubinorum ſimulacris ſupplices jacere, nobis verò Chriſtum Deum adoraturis, coram ſpeciebus Euchariſticis, pronos humique ſtratos jacere non liceat?

Exemplum addo ad rem noſtram magis accommodatum, eorum quæ Chriſto olim, dum inter homines ageret, contigere: XXVIII

Math. 17. cùm videlicet in monte Tabore, pulcherrimo ſplendore circumfuſus, aut cùm à mortuis excitatus hortulani ac peregrini habitu atque veſtitu, diſcipulis ſeſe oſten-
Ioan. 20. Luc. 24. dit. Conſtat ſanè hanc olitoris & peregrini, non minùs quam iſtam panis ſpeciem, quâ in Euchariſtiâ tegitur, ab eo fuiſſe alienam; quippè ejus formæ figura, & lineamenta oris omnia ita erant immutata, ut iis qui cum illo familiariſſimè vixerant, poſt unum aut alterum diem, nullatenùs agnoſceretur. In Transfiguratione verò albus illecolor veſtibus ejus aſperſus, & clariſſima lux, quæ ex ejus vultu totoque è corpore emicabat, non minùs erant adventitia, nec illi minori miraculo accidebant, quàm ſpecies in Euchariſtiâ nullo innixæ adminiculo conſerventur. Apoſtoli tamen eâ formâ oblatum abſque ullâ idololatriæ notâ, pronis corporibus venerati ſunt; quod ſanè fieri non potuit, niſi ſimul coram nitidiſsimâ luce, quâ totus radiabat, caput, corpúſque demitterent.

Reſplenduit facies ejus ſicut ſol. Matth. 17. 2.

Facta eſt ſpecies ejus altera. Luc. 9. 29.

Ceciderunt in faciem ſuam. Matth. 17. 6.

Doceant igitur adverſarii, quamobrem ſcelus graviùs videaturChriſtum ſub panis, quàm ſub hortulani ſpecie, æquè externâ & adventitiâ latentem venerari; aut cur non liceat Optimum Dominum veneraturis ad conſpectum figuræ, & coloris hujus Eu-

Digitized by Google

chariſtici, humi corpus abjicere, quod Apoſtolis in Tabore licuit, ad conſpectum candoris illius, & ſplendidiſſimæ lucis, ejus è vultu ac totis circum veſtibus, erumpentis.

Fatemur igitur, inquies, Catholicos Chriſtum in Euchariſtiâ venerantes, ſimul ſpecies Euchariſticas venerari? At hoc ipſum eſt quod Doctores Calviniani reprehendunt, & acerrimè inſectantur. Antequam ego meam mentem aperio, juvat ab illis percontari, num Moſes nubem prætervolantem, quâ gloria Domini ferebatur, cùm eâ prope conſpectâ *curvatus eſt pronus in terram*; num idem ipſe aliique Patriarchæ, qui Deo ante Arcam & Tabernaculum ſupplicabant, Arcam illam, Tabernaculum, & velum quo ſacra Myſteria tegebantur; num Apoſtoli, qui in monte Taboræo, & piæ mulieres, quæ in horto ad Chriſti pedes acciderunt, formam illam hortulani quam induerat, & emicantes ex ejus corpore, luminis radios adoraverint? Si dixerint neque veteres Patres Arcam & Tabernaculum, neque pias mulieres olitoris veſtes ac ſpeciem, neque Apoſtolos candorem illum clariſſimum adoraſſe, quo Chriſtus Taboræo in monte fulgebat; fateantur neceſſe eſt ita poſſe Deum intra res XXIX.

creatas, adeóque Chriſtum intra ſpecies Euchariſticas adorari, ut ad eas ſpecies, adorationis ejuſmodi prorsùs pars nulla pertineat. Quo dato, cauſa certè nobis adjudicatur. Neque enim quæritur, an res alia cum Chriſto in Euhariſtiâ adoretur, ſed an liceat Chriſtum intra Euchariſtiæ ſpecies adorare?

Si velint, dum antiqui Patres ad Arcæ & Tabernaculi fores, Apoſtoli item ad Chriſti pedes ſuppliciter & demiſsè jacebant, rebus illis aſpectui, ſenſibuſque, objectis venerationem externam, Deo verò ac Chriſto internam venerationem exhibitam; aſſeremus pariter, dum Catholici Chriſto ante ſacram Euchariſtiam ſupplicant, speciebus quidem externam Corporis, Chriſto verò internam animi venerationẽ exhiberi.

Si negant fieri poſſe ut Moſes coram nube quâ Dei gloria ferebatur, Hebræi Patres coram Arcâ & Tabernaculo, Apoſtoli coram lumine Thaboræo, & ſimulatâ illâ viatoris ac hortulani formâ procumberent, niſi ſimul venerationem aliquam, quæ in viris ſanctiſſimis omni utique idololatriæ ſuſpicione careat, rebus illis impertirent; eodem nos jure contendemus, dum Catholici coram Chriſto ſpeciebus Euchariſticis velato, genua frontemque demir-

demittunt, aliquid internæ etiam venerationis illius abſque ullo idololatriæ periculo, ad ipſa accidentia ſpecieſque refundi.

Venio jam ad illud quod modò quærebatur; an adoratâ Euchariſtiâ ipſæ quoque ſpecies adorentur; aſſeroque id unum ab Eccleſiâ Catholicâ doceri, quòd Chriſto Domino Latriæ cultus in Sacramento exhibeatur, neque aliud quippiam ex verbis Synodi Tridentinæ colligi poſſe. Quòd ſpectat ad ſpecies, diffiteri planè nemo poteſt, quin illis externa ſaltem adoratio deferatur; cùm omnibus apertiſſimè pateat coram Sacramento, quo & Corpus Chriſti, & ſpecies continentur, flecti genua, frontemque demitti. XXX. An ſpecies ipſæ adorentur, & quâ adoratione?

De adoratione internâ, à Theologis diſputatur quidem, at nihil hactenùs eâ de re fuit ab Eccleſiâ definitum. Adde quod, internæ hujuſmodi adorationis nomine, quam alii concedunt, alii negant, nihil aliud omnes intelligunt quàm certam quandam animi reverentiam, cum externâ veneratione conjunctam, longè inferioris ordinis quàm quæ Corpori Chriſti exhibetur.

Atque ut adverſarii æquioribus tandem animis intueantur tum externam illam venerationem, quàm ſpeciebus Euchariſticis

F

Digitized by Google

dum Chriſti Corpus & Sanguinem contegunt, exhibemus; tum internam animi reverentiam quam ipſis quoque deferendam nonnulli ex Doctoribus Catholicis arbitrantur; utramque ab eorum criminationibus vindicare aggredior, retento adorationis nomine quod jam uſu receptum eſt, poſitâque re unâ de qua ipſi à nobis oppidò diſſentire non audeant.

XXXI. Res creata propter conjunctionem cum increatâ poteſt adorari.

Conſtat enim rem creatam, quæ ſuo quidem merito nullam ſibi adorationem vindicat, propter connexionem aliquam cum re aliâ cui jus eſt adorari, in partem aliquam ejuſdem honoris venire poſſe. Exempli causâ, Chriſti carni à divinitate ſejūctæ, ac ſeorſum à nexu illo mirabili quo divina & humana natura copulantur, adoratio nulla debetur; at ubi cum Divino Verbo conjungitur, hâc illicò reverentiâ atque honore dignâ exiſtimatur. Quare Doctores Calviniani qui triumphos agunt, quoties vel leviſſimus locus eſt invidioſam illam Catholicis concluſionem obtrudendi: Igitur res creata adoratur, eam planè in hacce materiâ coguntur admittere.

Siquidem pronum eſt in cultu humanæ Chriſti naturæ, adverſus eos ratiocinationem convertere, quâ illi ſpecierum adorationem oppugnant. Chriſto Domino ex-

hibenda eſt adoratio : Atenim Chriſtus Dominus naturã utramque complectitur, divinam ſcilicet & humanam quæ ex carne tanquam parte componitur ; Igitur, ſi Chriſto integro exhibetur adoratio, carni certè ejus ac corpori, adeòque rei creatæ, adoratio pariter exhibetur. En planè invidioſam illam concluſionem ex adverſariorum principiis deductam. Intelligo ſanè magnũ intereſſe diſcrimen inter venerationem illam, quâ Chriſti carnem, & quâ ſpecies Euchariſticas colimus, ut inferiùs exponetur. Quamobrem eò ſolùm noſtra ſpectat argumentatio, ut oſtendamus ex utrâque illa carnis ac ſpecierum veneratione pariter conſequi, quòd res creata adoretur, eamque concluſionem æquo perpenſam animo, non eam, quam iſti homines jactant, apud Chriſtianorum animos, invidiam atque offenſionem habere.

Cùm itaque conſtet, rebus illis quæ ſibi adorationem non arrogant, ex conjunctione tamen cum re aliâ nobiliore, poſſe jus illud contingere ; aſſero ſpecies Euchariſticas, quibus ſeorſum adoratio nulla debetur, genus illud honoris conſequi ex ſuâ cum Chriſto conjunctione, ex quâ unum illud mirabile, quod Euchariſtiam dicimus, efflorеſcit.

Digitized by Google

XXXII. I. SIMILITUDO Quâ prob ſpecies poſſe adorari propter conjun. cum Chriſto; quia faciunt cum illo unum totum Sacramentale.

Enim verò cum res duæ diſparis generis ac conditionis inter ſe copulantur, quæ alteri dignitate præſtat, juris illi ſui aliquid impertire ſolet, eamque ſimul vocat in partem honoris & commodorum quibus antea non fruebatur. Cùm hominem quempiam corpore ſcilicet animâque conſtantem, ſingulari obſervantiâ cultuque dignamur, ad animum utique, non ad corpus intelligentiæ & rationis expers reverentia illa ſpectat; utrumque tamen honore proſequimur, eò quòd animus ob ſuam illam cum corpore conjunctionem, corpus ipſum in honoris ejuſdem ac dignitatis communionem accerſat. Similiter cùm Regem aut Magiſtratum purpureâ indutos togâ veneramur, quamvis hujuſmodi veſtes humi poſitæ nullo honore dignentur, eas nihilominùs officiosè reveremur unà cum illo ſive clariſſimo, ſive principe viro, qui ornamenta illa præfert velut ampliſſimæ inſignia dignitatis.

Atenim poſitâ Chriſti in Sacramento præſentiâ, quam nobis, ut diximus, adverſarii hoc loco permittunt, conſtat omninò ex ejus corpore & ſpeciebus Euchariſticis unum coaleſcere, duaſque illas res inter ſe copulari; & copulationem illam ſive moralem, ſive formalem, ſive efficientem di-

xeris, eâ certè minorem eſſe quâ corpus & anima invicem colligantur; majorem verò illâ, quâ veſtes hominis cum ejus corpore connectuntur. Ex eo autem colligatio & conglutinatio illa dignoſcitur, quòd corpus ſpecies ultrò citróque conſequatur, & tabeſcentibus illis ac pereuntibus, corpus eo loci non ultrà conſiſtat. Unde fit ut Chriſti Corpus, ob ſuam illam cum ſpeciebus connexionem, juris illas ſui aliquantulum participes faciat, & in nonnullam ſecum adorationis ac cultûs ſocietatem aſciſcat. Atque hæc ſpecierum cum Chriſti corpore copulatio inter priſcos Eccleſiæ Patres, ita uſu recepta eſt; ut qui de eâ meminere, ſimilem dixerint conjunctioni illi quæ inter idem corpus & naturam divinam intercedit. Ex quo Doctores Catholici colligunt, quòd ſicut Chriſti corpori, ex ſuâ cum naturâ divinâ conjunctione, jus adorationis comparatum eſt; ita nexus quo idem Corpus cum ſpeciebus Euchariſticis colligatur, facit, ut ad ipſas ſpecies honor ille adorationis cultûſque pertineat.

Hil. l. 1. de Trin. Cypr. ſerm. de cœna Aug. l. 3. de Trin.

XXXIII Verùm nè res ipſa ſupra modum, ſupraque meritum exaggerari videatur, placet in primis obſervare duos illos nexus aliquatenus certè convenire, at ex alio capite

longiſſimè inter ſe diſcrepare; ex eóque diſcrimine fieri ut ſpeciebus propter Chriſti Corpus, & ipſi Corpori propter divinam naturam cultus longè diverſus exhibeatur. Conveniunt quidem in eo quòd utrumque verum aptumque ſit vinculum: in eo autem dlſcrepant quòd vinculum illud, quo Chriſti Corpus cum divino Verbo copulatur, duas naturas conjungat, ac totum ſubſtantiale conſtituat; vinculum verò quo idem Corpus Euchariſticis ſpeciebus adſtringitur, aliquid accidentale ſit, quod ſubſtantiam unam cum accidente connectit, eo ſolùm uſu, ut circumductis ſpeciebus, Corpus quoque circumferatur, & illicò præſens adſit ubicumque ſpecies collocantur. Species itaque propterea colimus, quod ritè cum Chriſti Corpore copulentur: Verùm quia copulatio illa longè inferioris eſt ordinis quàm ea quâ idem corpus cum naturâ divinâ componitur, hinc fit, ut ſpecies Euchariſticas longè minori quàm Chriſti Corpus reverentiâ veneremur. Siquidem Chriſti Corpori abſolutam, ut vocant, ſpeciebus verò merè relativam adorationem exhibemus. Corpus enim propter naturam quidem ab ipſo diviſam, non tamen propter ſuppoſitum diverſum hujuſmodi honore proſe-

quimur; Chriſti quippè Domini tum humana, tum divina natura eodem ſuppoſito, hoc eſt unâ eâdemque Chriſti Perſonâ innititur ac definitur. Species autem propter alienum planè ſuppoſitum, videlicèt Chriſti duntaxat ipſius causâ, adeóque velut caſu & occaſione quâdam, hac qualicumque veneratione dignamur.

Huic rationi aliam ſubjungo vulgari intelligentiæ magis accommodatam. Atque illud inprimis obſervandum occurrit, Arianos ac Neſtorianos qui cultum olim omnem Chriſti carni ac corpori detrahebant, eâdem ferè argumentatione uſos, quâ modò ſpeciebus Euchariſticis nullam deberi reverentiam Calviniana Schola contendit. Chriſti caro, aiebant illi, res planè creata eſt; dum igitur illa adoratur, rei utique creatæ adoratio exhibetur. Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres, qui cum Hæreticis illis, de Religionis Chriſtianæ Myſteriis diſceptabant, præter alias benè multas, hâc potiſſimùm ratione eorum mendacia refellebant; quòd licet Chriſti caro res merè creata foret, eam tamen Verbum Divinum velut regiam veſtem induiſſet, quâ ſummæ dignitatis ſuæ ſplendorem obtegeret, eumque, ſi fas eſt dicere, ab oculis mortalium removeret. Atenim, inquiunt,

XXXIV. II. SIMILITUDO Quâ prob. ſpecies adorari propter conjũct. cum Chriſto; ſicut ejus veſtis cum illo adoratur, juxta SS. PP.

dumentis ac veſtibus tribuatur. Atque ex eo conficio deberi ſpeciebus Euchariſticis cultum aliquem, eadem ratione quâ ſancti Patres debitum humanæ Chriſt naturæ cultum certiſſimè colligebant. Poſitâ enim conceſsâque Chriſti in Sacramento præſentiâ, ſpeciebus ille, velut integumentis, occultatur, quas proindè vix liceat, dum Chriſtus colitur, ab ea veneratione cultuque excludere.

δια τὸν Βασιλέα. Damaſc. l. de duabus Chriſti vol. pag. 474.

Sanè viros pios ac ſapientes qui Chriſtum in terris agentem flexis genibus venerabantur, nemo Idololatriæ reos dixerit, quamvis, ex mente ſanctorum Patrum, id nequaquam præſtare poſſent, niſi illud honoris genus ejus quoque veſtibus impertirent. Ecquis autem nobis tanti flagitii notam inurat, ſi dum Chriſtum in Euchariſtiâ veneramur, ejus veſtes, hoc eſt ſpecies Euchariſticas, aliquo pariter honore dignamur; atque eò potiori jure, quòd licet Chriſti Corpus cum ſpeciebus, minori certè quàm cum Verbo Divino, at majori & aptiori quàm ſuis cum veſtimentis, vinculo copuletur?

Quid ad hæc reſpondeant adverſarii? aïent nimirùm adorationem, vel per medias hominis veſtes ad ipſum rectà contendere; vel exteriorem ſolùm ad veſtes, inte-

Digitized by Google

riorem verò animi adorationem ſpectare ad hominem hujuſmodi veſte indutum. Atqui hoc ipſum eſt quod Doctores Catholici contendunt, adorationem videlicet, *a* vel inſalutatis intactiſque ſpeciebus, Chriſti Corpori adhærere: *b* vel exteriorem quidem ad ſpecies, interiorem verò ad Chriſti Corpus Sanguinemque deferri: *c* vel utramque ſimul ad Chriſtum & ſpecies, eo tamen diſcrimine, quod ſuprà indicavimus, pertinere. Diſcrimen illud clariùs patebit ſequenti diſſertatione in qua agetur de Crucis adoratione: Quod enim de eâ dicitur, de ſpecierum adoratione cum proportione dicendum. Nam ſicut Crux unà cum Chriſto adoratur ob relationem imaginis ad exemplar, ita ſpecies cum eo adorantur ob relationem partis ad partem in toto ſacramentali. Et ſicut adoratio illa relativa non denominatur adoratio Latriæ, quatenus ſpectat ad crucem, ita neque quatenùs ſpectat ad ſpecies; ſed denominatur adoratio ſeu cultus interior ſimpliciter, prout eâdem diſſ. 2. fuſiùs exponetur.

a Caj. to. 2. tr. 2. c. 10.
b Vaſq. diſp. 108 c. 12.
c Sua. t. 3 in 3. p. diſp. 65. c. 1.

V. diſſer. 2. n. 29. 30. 31.

XXXVI Cùm itaque Eccleſia varios illos adorationis modos Theologorum diſputationi permittat; liceat Catholicis omnibus utrumlibet pro arbitrio uſurpare: nemini pror-

ſus hac in re negotium faceſſet, litemque movebit ; dummodo certò exiſtiment quod à Concilio Tridentino definitum eſt, *In ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitũ Dei Filium eſſe cultu Latriæ etiam externo adorandũ.* Ubi verò Conciliũ aſſerit cultum illum Sacramento exhibendum, rem Sacramenti, nempe Chriſtum ipſum intelligit, Theologiſque diſputandum relinquit, an ſpecies ſint mera conditio, vel pars etiam una Sacramenti, adeóque an à Chriſto in cultûs conſortium admittantur. Quâ de re Concilium quidem nihil ſtatuit : tamen utcumque ſe habeat, caret hujuſmodi erga ſpecies reverentia, omni Idololatriæ ſuſpicione. Patebit hoc manifeſtiùs dum reliqua adverſariorum argumenta diſſolventur.

Conc. Trident. ſeſſ. 13. Can. 6.

XXXVII. II[a]. Object. Quamvis Deus ſuâ ſubſtantiâ impleat res omnes creatas, in iis tamen omnibus adorari non debet; ita neque Chriſtus in ſpeci-

„ Divina, inquiunt, Chriſti natura adorationem ſibi vindicat, potiori jure quàm Corpus : illa autem hanc rerum univerſitatem implet, non ſecus ac Chriſti Corpus Euchariſtica implet ſigna : Ut Corpus per hujuſmodi ſpecies, ita immenſa illa ſubſtantia per omnes res creâtas, abſque ullâ diviſione aut extenſione, diffunditur ; nec minùs in lapidibus, plantis, & animantibus, quàm Chriſti Corpus in panis accidẽtibus præ-

ebus Eucharisticis, quàvis ejus corpore impleantur.
Pref. a. 11.

„ ſens adeſt. Si cui tamen veniret in men-
„ tem coram æreâ mole, coram equo,
„ leone, aliâve animante procumbere,
„ eo dumtaxat nomine quòd Dei vis infi-
„ nita res illas permeet impleatque, nuſ-
„ quam ille verò Idololatriæ notã effuge-
„ ret. Ita piaculum ſanè non levius videa-
„ tur Euchariſticis ſpeciebus, eâ ſolum de
„ causâ, quód ſe illis Chriſti corpus im-
„ miſceat, reverentiam exhibere: aut cer-
„ tè licebit divinum numen in rebus crea-
„ tis omnibus, non ſecus ac Chriſtum in-
„ tra ſpecies Euchariſticas, venerari. Con-
„ ſtat equidem non nullos Doctores Ca-
„ tholicos poſtremum illud ultrò conce-
„ dere, at ſingularis iſthæc Theologia non
„ omnibus, credo, ſapientibus arridebit.
Atque illa eſt adverſariorum nupera demonſtratio, quam illi tantopere prædicant, ad fallendum quidem rude vulgus ut cumque accommodata, at viris Theologis irridenda, & explodenda.

Cai. 2. 2. q. 103. a. 3. Delug. de inca. d. 37. s. 2.

Ut enim ordiamur à ſententiâ Doctoris illius qui aſſerit fas eſſe Deum in rebus creatis omnibus contemplari, ac revereri: non ille certè unus in eâ ſententia fuit, cui duo longè illuſtriora Eccleſiæ Catholicæ lumina, Cardinales Caïetanus, & Delugo pariter ſuffragantur. Verùm quoniam ad-

verſariis viſum eſt doctiſſimum Vaſquem è millibus unum deligere, cui divini cultûs violati actionem intendant; patet omninò illos mentem hujus Doctoris vel minimè aſſecutos, vel diſſimulanter ignoraſſe. Nemo enim in explicandis cultûs Religioſi legibus, eo religioſior, nemo ſeveriori examine argumentum illud expendit. Quoniam igitur Theologus ille præ cæteris in arenam vocatur, bene habet: principiis enim adeò tutis certiſque utitur, ut non alia mihi quidem adhihenda videantur, ut oſtendam in cultû, quem Chriſto in ſpeciebus Euchariſticis, ipſique Deo Optimo Maximo in rebus creatis exhibemus, nihil omninò deprehendi, quod animos virorum proborum ac ſapientum jure offendat.

Ait itaque adorationem duobus actibus contineri, interiori uno, quo alicujus præ- XXXVIII.
ſtantiam & dignitatem agnoſcimus ac re- Vaſq. diſput.
veremur; exteriori altero quo illam animi 93. c. 4.
reverentiam officioſâ corporis demiſſione profitemur. Quæ duæ res ita inter ſe connexæ ſunt, ut exteriori reverentiæ adorationis nomen nunquam tribuatur, niſi accedat interior; ſive extimam illam iſtius materiam dixeris, ſive rivulum ex éo velut fonte & capite profluentem. Patet illud

exemplo militum Chriſtum de genu conſalutantium. Nemo enim dixerit fuiſſe illam adorationem verè Religioſam, eâ certè unâ de cauſâ quòd ridiculis nebulonibus nequaquam eſſet in animo, ea corporis demiſſione, ſuam de Chriſti dignitate exiſtimationem, mentiſque reverentiam declarare. Et verò Deus Optimus Maximus ſupremus humanæ gentis Dominus, cùm illam corporis demiſſionem, tùm animi potiſſimùm reverentiam, velut germanam ſervitutis noſtræ ac fidei teſſeram expetit; atque, ut loquitur ipſe Chriſtus, *Deus Spiritus eſt, & eos qui adorant illum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.*

Ioan. 4.

Deus adorari poteſt in rebus creatis adoratione interiori.

His præmiſſis, aſſero, illud Theologorum placitum de divino numine in rebus creatis adorando, nihil planè offenſionis habere; præſertim juxtà mentem ejus Doctoris qui interiorem illam animi reverentiam aliâ longè præſtantiorem, Deoque uni debitam eſſe contendit. Quæ ſanè Theologorum noſtrorum ſententia adeò non eſt reprobanda, ut Catholicæ Religionis ſanctitatem maximè commendet, quæ virtutum plurimarum ac præſtantiſſimarum uſu Deum colat; jejunam verò Sectæ Calvinianæ ſiccitatem inopiamque redarguat, quæ ejuſdem numinis cultum pauculis ritibus definire videatur.

Digitized by Google

Enim verò cùm Deum Optimũ Max. in plantis, metallis, & elementis præſentẽ contemplari liceat, cur eundẽ non liceat iis in rebus mente & animo revereri? Deinde ex eo quòd infinitam Dei mentem per äëra, quem ſpiritu ducimus, diffuſam exiſtimemus, illud ipſum credimus fide divinâ; & ex eo quòd vates Regius moneat Deum à dextrâ nobis adeſſe, ſpem quoque in ejus præſidio certiſſimam collocamus; cur non pariter hanc ejus vim ac poteſtatem interiori animi reverentiâ veneremur? atque ut verbo uno multa complectar, cùm vilis abjectáque creatarum hujuſmodi rerum conditio nequaquam prohibeat, ut ad Deum in iis exiſtentem nobiliſſimarum virtutum, ſpei, & fidei actus emittamus, cur ſanè prohibeat, ne ad illum quoque virtutis inferioris, Religionis videlicet opera referamus? *Pſal.* 15.

Atenim de exteriori reverentiâ longè aliâ ratione ſentiendum, eam videlicet Deo, non in cunctis promiſcuè rebus creatis exhibendam, ſed in iis dumtaxat, in quibus, ſingularibus argumentis numen ille ſuum, præſentiamque declarat. Et ratio in promptu eſt, tum quia res illæ interdum adeò deſpicabiles ſunt, ut indecorum planè foret, & ab honeſtate alienum,

Adoratione exteriori in rebus aliquibus adorari poteſt, non in omnibus. Triplex ratio diſcriminis.

ſiquis objectâ feſtucâ aut plumulâ, humi ſe venerabundus abjiceret; tum quia in rebus majoris molis, & pretii, in ſole, ſtellis, metallis, ipſiſque brutis animantibus, genus illud honoris vulgi animos vehementer offenderet, cùm facilè ſuſpicaretur non eum certè Deo conditori; ſed rebus ipſis à Deo conditis exhiberi; tum quia periculum eſſet, nè cultus hujuſmodi in Idololatriam aut ſuperſtionem Chriſtianæ Religionis moribus diſſentaneam tandem aliquando dilaberetur.

XXXIX. Equidem ſiquis duos iſtos actus, ex quibus cultus ille conflatur qui erga Chriſti Corpus & Sanguinem in Euchariſtia adhibetur, attentè perpenderit, nè ille continuò errorem & fallaciam eorum Calvinianorum deprehendet, qui ex adoratione Chriſti in ſpeciebus Euchariſticis, Deum ubique & in rebus creatis omnibus adorandum eſſe ratiocinantur. Etenim ſi de adoratione interiori agatur, quod iſti contendunt, prolixè concedimus, fatemurque nihil obſtare quominùs Deum creatis in rebus, hoc honoris genere proſequamur.

Si verò de adoratione externa eſt ſermo, planè negabimus quod aſſumunt, contendemuſque ex adoratione Chriſto in ſpeciebus Euchariſticis, vel Deo ipſi certis in

locis

locis debitâ, ad adorationem illi in rebus creatis omnibus exhibendam, non illos rectiſſimè argumentari. Quamvis enim Deum ubique præſentem adeſſe nobis perſuaſiſſimũ ſit, non tamen illum ubique hujuſmodi honore externo afficiendum eſſe cenſemus, ſed iis dumtaxat in rebus, ubi gravioribus indiciis ejus numen potentiáque ſe prodit; ut incommodis ſuperiùs memoratis, rei videlicet indignitati, animorum offenſioni, & Idololatriæ periculo occurratur.

Atque ut intelligatur Doctores Catholicos ſibi magis conſtare, quàm Calvinianos, liceat memoriâ repetere veteres Hebræorum ritus, qui divinum numen in templo Hieroſolimitano, in Tabernaculo, & in Arcâ fœderis proni reverebantur. Conſtat quippe Deum arbores rupeſque Arabiæ, ubi per annos quadraginta gens Hebræorum domicilium & ſedes erraticas collocavit, non minùs quàm Tabernaculum aut fœderis Arcam ſuo numine impleviſſe; nemo tamen inter confidentiſſimos Legis Doctores ita concludere auſus eſſet; licet Deum in hoc Tabernaculo, licet igitur illum in hac rupe atque in illâ arbore venerari. Et Idololatrarum ſanè in numero habitus fuiſſet, quiſquis ſupplex ante ru-

pes illas & arbores, perinde ac ante Arcam & Tabernaculum jacuiſſet.

Si quæratur ab adverſariis quamobrem Deum adoraturis liceret ante Arcam & Tabernaculi fores, non verò ante arborem rupemque procumbere, cùm ex æquo, res illas divinæ naturæ immenſitas permearet; ſubjicient, opinor, ad Cultum adorationis haud ſatis eſſe, ut Deus alicubi præſens intelligatur, niſi ſingulari modo ibi exiſtat, ut reverà Arcæ, Templo, & Tabernaculo inerat; ubi toties data oracula, & patrata miracula ejus præſentiam inſigniter indicabant. Juxta iſtam reſponſionem nos pariter aſſeremus, poſitâ Chriſti in Sacramento præſentiâ, divinam naturam ſpeciebus, longé nobiliori modo quam cæteris rebus creatis, ineſſe; quippe cum Chriſti Carne & ſanguine, quæ ſignis illis Euchariſticis ambiuntur, nexu aptiſſimo copulatur. Quare non magis iſta Chriſti in Euchariſtiâ, quàm Dei ipſius in Arcâ & Tabernaculi penetralibus, adoratio munire aditum videtur ad eum in rebus aliis adorandum; quamvis ſubtiliſſima illa, immenſáque ſubſtantia ad res omnes perpetuò affluat, & penitùs illabatur. Hujus rei veritas ex reſponſione ad tertiam adverſariorum Calumniam meliùs elucebit.

Digitized by Google

Si fas eſſet, ajunt, homini Chriſtiano Euchariſtiæ Sacramentum, fas eſſet quoque fictorum numinum cultoribus, eorum Idola ac ſtatuas venerari. Neque verò Ethnicis qui Deorum olim ſimulacris, aut Hebræis, qui vitulo aureo ſupplicabant, hujuſmodi cultus vitio verteretur; cùm infinita Dei ſubſtantia in exangues illas mutaſque effigies perinde ſeſe infunderet, ac Chriſti Corpus in accidentia ſignaque Euchariſtica, ex quibus ſpecies illa, & panis effigies coaleſcit. Si dicamus veterum Ethnicorum nequaquam illam fuiſſe mentem, ut Deum Optimum Maximum, ſibi planè ignotum in fictilibus ſimulacris; neque item Hebræorum, ut potentiſſimum ſuæ libertatis vindicem, atque Ægypti domitorem in bove conflatili agnoſcerent, colerentque; ſubjicient videlicet præclari iſti idololatrarum patroni fidem omnem ſuperare, quòd homines communi naturæ ſenſu ac ratione prædιti divinam ullam vim in ære ac mamore ſuſpicarentur; nihilque aliud propoſitum ipſis fuiſſe, quàm ut immenſam Dei naturam rebus illis affuſam, vel hujuſmodi ſymbolis adumbratam ſuſpicerent & obſervarent. Addent cum Calvino, neminem Ethnicorum adeò tardi hebetiſque fuiſſe ingenii, ut neſciret lon-

XL. 3. Objectio. Si liceat chriſtianis ſacram. Euchar. licebit Ethnicis Idola adorare. *Praef. a.* 11.

Calv. l. I. inſt. c. 11. § 9.

„ gè aliam eſſe Dei quàm lapidis, ligniquc
„ naturam; non litaſſe illos aſpectabili ſi-
„ mulachro, ſed latenti in eo divinitati;
„ neque demùm aut Idolum, aut dæmo-
„ nem coluiſſe, ſed ærea ac marmorea ſig-
„ na habita illis velut ſymbolum rei alte-
„ rerius præſtantioris, quæ ſibi adoratio-
„ nem hujuſmodi, jure optimo, vindi-
„ caret.

XLI. Reſpo. ad Obj. Triplex ratio diſcriminis inter cultum Euchar. & Idolorum.

Ut conſtet quàm inanis & ridicula ſit, à cultu Euchariſtiæ ad cultum idolorum, argumentatio, placita nonnulla pronuntio, ex quibus ſanè intelligetur duos illos cultus inter ſe, maximo intervallo, diſcrepare.

Primum eſt, errare ac vehementer hallucinari, illòs qui exiſtimant Ethnicos nihil ſpectaſſe aliud, quàm ut Deum Optimum Maximum in Idolis colerent, propterea quod brutæ illæ mòles perinde atque aliæ res creatæ ejus numine implerentur. Quin imò illa ipſa ſimulachra Deorum in loco ac numero habebant, atque in illis, ut in diſſertatione de cultu imaginum fuſiùs exponemus, divinam vim ac poteſtatem collocabant. Si enim Ægyptii, dum bovem, cujus effigiem ſubinde effinxere, venerabantur; ad Deum rerum conditorem eo in ſimulachro habitantem cultum

illum referebant; leonis certè & equi effigies divinæ naturæ immenſitate perinde immerſas, eâdem religione coluiſſent. Prætereà ſi populi illi, quorum in hortis dii faciles naſcebantur, in cepis & alliis nonniſi Deum ipſum, hujuſmodi plantas foventem & vegetantem, reſpiciebant; quidni ocellos quoque, & roſas, longè illuſtriora ejus benignitatis, ac pulchritudinis ſymbola venerabantur? Pronum eſt igitur exiſtimare, homines illos ſuis in Idolis aliud quidpiam ſpectaſſe, quàm iſtam Dei immenſitatem; atque illis revera ipſam Dei naturam & attributa omnia affinxiſſe. Atque ex eo factum eſt ut Idololatræ, ſive Idolorum cultores dicerenrur, propterea quòd res creatas colerent, ob divina illa decora, virtuteſque, quas ipſis, in conditoris injuriam ac contumeliam, tribuebant.

Aſſero deinde ſapientiſſimos Ethnicorum, qui in marmoreis illis aureiſque ſimulachris nihil divinum ſuſpicarentur, uſurpaſſe tamen illa velut non nullorum inſignium virorum effigies, quos Deorum in cætu ac numero reponebant. Quamobrem ex eo verè Idololatrarum nomen adepti ſunt, quòd ſummum Latriæ cultum exhiberent vel exanguibus illis ſi- XLII.

mulachris, vel certè, ipſis hominibus exhiberent, quorum illa ſimilitudinem referebant, quibuſve, cum meri, imò etiam fictitii homines fuiſſent, genus illud honoris minimè congruebat.

XLIII. Aïo denique, quod, licet ſapientes aliqui nec ullum numen, nec divinos honores viris illis inſignibus aut eorum ſimulachris tribuiſſent, idque ſpectaſſent unum, ut ſupremum rerum arbitrum, ac moderatorem in ſtatuis templiſque venerarentur; externo tamen illo cultu vehementer plebis animos offendiſſent, plebis, inquam, quam videlicet imitandi ſtudium facilè ad idem flagitium impuliſſet. Præterea ſuperſtitioſus planè hujuſmodi cultus extitiſſet. Cùm enim Deus iis tantum in locis adorari velit, ubi ſingularibus indiciis præſentiam declarat ſuam; eum homines iſti in Idolis coluiſſent, à quibus ſanè, ſi naturæ divinæ immenſitas pateretur, ſuam præſentiam cohiberet; uſque adeò vel ab ipsâ Idololatriæ ſpecie, & prophano omni cultu abhorret?

XLIV. Quibus argumentis omninò conficitur, ex adoratione, quæ Chriſti corpori intra ſpecies Euchariſticas exhibetur, adorandam quoque in ſtatuis Divinitatem ineptè deduci; ſimulque patet quantùm inter Eu-

Digitized by Google

chariſtiæ & Idolorum cultum interſit. Cùm enim Sacramentum ſupplices reveremur, vim nullam divinam in ſpeciebus ipſis Euchariſticis ſuſpicamur, qualem veteres Ethnici Deorum ſimulachris ineſſe exiſtimabant. Deinde cultus quem Chriſto Domino intra ſpecies Euchariſticas exhibemus, non ſiſtit ille quidem in fictitio aliquo numine; quemadmodum Ethnicorum Idola venerantium cultus ad Jovem & Saturnum, aliaque, id genus, falſorum Deorum numina ferebatur; ſed in Chriſto ipſo, Deo verò ſimul & homine, conquieſcit. Denique cùm Deus exteriorem illum cultum in iis ſolùm rebus ſibi velit adhiberi, in quibus ipſe ſingularia præſentiæ ſuæ exhibet argumenta, ea certè nuſquam in Idolis deprehenſa ſunt; ſecùs autem in Euchariſtiæ Sacramento, ubi divina natura Chriſti corpori arctiſſimè jungitur; corpus verò ipſum, juxta hypotheſim, quam ex adverſariorum conſenſu modò ſtatuimus, corpus, inquam, ut ſuperiùs diximus, ſpeciebus Euchariſticis adhæreſcit. Cum itaque Deus Optimus, Maximus, longè diverſâ ratione ſe Euchariſtiæ Sacramento, & rebus aliis præſentem exhibeat, frigida planè obtuſáque fuerit iſthæc argumentatio: Licet Chriſtum Deum &

Hominem in ſpeciebus Euchariſticis, licebit igitur Dei immenſitatem ubique diffuſam in rebus creatis omnibus, etiam in Idolis venerari.

Ex quibus omnibus Allophylorum ſapientiſſimi facilè intelligent, partium affectu potiùs quàm ratione duci Doctores illos ſuos, qui Romanam Eccleſiam, ob fictum & commentitium Idololatriæ crimen, acerrimè inſectantur; intereà dum ipſi nefariam Ethnicorum Idololatriam excuſant, aſſeruntque eos in æneis & marmoreis ſimulachris non niſi Deum Optimum Maximum coluiſſe. Quæ ſanè, quàm irrito conatu tentaverint, patuit confutatione ſuperioris argumentationis, quâ videlicet contendebant Chriſtum, nè quidem in Altaris Sacramento maximè præſentem adorandum eſſe, nè ſimul ſpeciebus Euchariſticis, adeóque rebus merè creatis idem adorationis cultus exhiberetur. Nunc ad illud, quod tertio loco contendunt, accedamus.

XLV. „ Aïunt itáque, etiam poſitâ in Altaris
Pref.a.9. „ Sacramento, juxta mentem Eccleſiæ „ Romanæ, Chriſti præſentiâ, nefas eſſe „ illum adorare. Docent enim Doctores „ catholici fieri interdum poſſe, ut Chriſ„ tus abſit, ſpeciebus nequaquam rite

conſecratis

„ conſecratis, ſive materiæ, ſive formæ, „ ſive ipſius ſacerdotis vitio, qui careat „ aut poteſtate, aut voluntate Sacramen- „ ti conficiendi. Enimverò ſi hujuſmodi „ caſu aliquo, interdum eveniat ut Chri- „ ſtus in Sacramento non adſit; quando- „ cumque vir Catholicus ſacro intereſt, „ vocare ſanè in dubium poteſt, num eò lo- „ ci & temporis, ſpecies ſint ritè conſecra- „ tæ; quæ dubitatio dum pulſabit animum, „ næ ille certum Idololatriæ periculum „ adeat, ſi Sacramentum veneretur; niſi „ fortè adjectâ conditione præſentiæ; quæ „ adorandi formula nec uſitata eſt, nec Chriſti ipſius conſentanea dignitati. Ut argumentationis iſtius fallacia certiſſimè pateat, conficio nunc demùm, quod à me ſuperiùs tertio loco propoſitum eſt, aſſeroque Chriſti in Sacramento præſentiam vulgò ac ſapienter exiſtimatam, conſtantem ſibi perpetuamque adorationem vindicare; nec ullum idololatriæ ſubeſſe periculum; quamvis abeſſe illum, ſingulari caſu, aliquando contingat.

TERTIA PROPOS.

Adoratio Euch. non eſt idololat. quamvis ex aliquo defectu interdum contingat non fieri Sacramentum.

Cùm viri cujuſpiam dignitas nobis probè comperta eſt, tenemur ſanè debita illi officia præſtare. Si autem errare nos forte contigerit, nequaquam obſtabit hujuſmodi error, quominùs obſervantia iſthæc

Digitized by Google

noſtra laudabilis ſit, & ſatis muneri noſtro factum eſſe videatur. Filius, cui perſuaſum eſt parentem hunc eſſe ſuum, obſervare illum debet, & indigentis, cum res tulerit, inopiam ſublevare. Et quamquam in agnoſcendo & appellando patre deciperetur, piè nihilominus ſanctéque faceret; peccaret imoverò niſi ſapienti illâ ſuâ opinione duceretur. Cùm ſtipem roganti mendiculo elargimur, quamvis ille ſimulatâ inopiâ fucum nobis faciat, benignitatem tamen in eo & miſericordiam adhibemus. Cùmque annalium noſtrorum monumenta referunt piiſſimam illam Reginam, quæ Gallicam in aulam Religionem Chriſtianam invexit, Oratori principis qui ejus conjugium expetebat, mendici veſte induto eleemoſinam erogaſſe, nec temerè nec imprudenter fecit, quamquam exterior illa ſpecies oculis illuderet, & virum opulentum Regiſque maximi Oratorem mendicum eſſe ſuaderet. Pariter, ſi debitor quiſpiam bonâ fide exiſtimaret eſſe ſe in ære alterius, & pecuniam illico numeraret, leges utique ſervaret ille juſtitiæ & æquitatis: & quamvis demum, fraude deprehensâ, germano ac legitimo creditori teneretetur ſolutionem repræſentare; quamdiu tamen in errore verſare-

tur, prorſus juſtitiæ laude ac merito frueretur. Hæc modò ad rem noſtram convertamus.

Quandocumque vir Catholicus Miſſæ ſacrificio intereſt, fide divinâ certò credit Chriſti corpus & ſanguinem ſpeciebus ritè conſecratis ineſſe; atque eo tantùm ſenſu, ut ſæpius dictum eſt, iſthæc diſputatio inſtituitur. Quare hæc una dubitatio, quam adverſarii potiſſimùm urgent, ſollicitum ancipitemque animum habere poteſt, an ſcilicet ſingulari hoc Sacramento, & ſpeciebus illis, quas Sacerdos præ manibus habet, Chriſtus reverà contineatur. Quæ res ut facilè ac dilucidè exponatur, duo aſſero; unum quidem, viro Catholico, qui ſacrum audit, moraliter, ut aiunt, certum eſſe, adeóque prudenter illum exiſtimare, in eo, quod hic proponitur Sacramento, Chriſtum præſentem adeſſe. Alterum, hominem illum prudenti iſtâ exiſtimatione adductum, non modò poſſe, verum etiam teneri illum intra ſpecies haſce Euchariſticas venerari. XLVII

Aio igitur Calvinianos, quamtumvis ipſi à noſtro Sacramento prorſus abhorreant, inficiari tamen nequaquam poſſe, quin Catholici ſingulari affectu ac reverentiâ divinum hocce myſterium proſequan- XLVIII

Digitized by Google

tur. Facit præclara illa exiſtimatio, ac reverentia, ut diligentiam omnem animique attentionem adhibeant circa materiam & formam; quò rite ſpecies conſecrentur; ipſeque ſacerdos, quantum libet impurus ac ſceleratus, ferè nunquam eò malitiæ ac fraudis adducitur ut, abſque voluntate conſecrandi, ad aras operetur. Hinc fit,ut homo catholicus, qui ſacro intereſt, prudenter omnino exiſtimet ſpecies eſſe ritè conſecratas: eſt enim illi res hujuſmodi tam certa & explorata, quàm vulgò ſoleant res humanæ aliæ, de quibus à ſapiente nemine dubitatur.

Cùm ſpectante populo, Sacerdos aliquis ſolenni veſte indutus facit ad aras, panemque & vinum ad ſacrificium comparata ſumit in manus; tam certum nobis compertumque eſt, fruges illas probas eſſe, & ad uſum ſacrificii rectiſſimè temperatas; hominem illum ſacris verè initiatum; eóque animo ad hunc locum acceſſiſſe, ut Sacramentum Chriſtiano more conficiat, quàm Calvinianis ipſis ſuas ſynaxes celebrantibus certum ſit, panem ac vinum quæ ipſis in Cœnâ porriguntur, optimè conſtituta eſſe ad eamque rem imprimis idonea; virum illum qui Cœnam porrigit, aut concionatur, legitimum eſſe ac publi-

cum ſuorum rituum Miniſtrum, qui velit hujuſmodi ritus ac cærimonias ſincerè ſerióque tractare. Evenire equidem aliquando poteſt ſpecies non eſſe ritè conſecratas, ſive quòd homo iſte, Sacri, ut aïunt, ordinis charactere inſignitus non ſit; ſive quòd non celebret animo Sacramenti conficiendi; quâ ratione fieri quoque poteſt, ut homini illi, qui Miniſtrorum in numero vulgò habetur, manus de more impoſitæ non fuerint; tamen rectè ſinguli prudenterque exiſtimanus; Calviniani quidem, hunc eſſe publicum ſuorum rituum ac Cæremoniarum Miniſtrum; nos verò illum alterum Sacerdotem eſſe, poteſtate prædîtum, ac voluntate ſacrificii peragendi.

Cujus aſſertionis hæc optima ratio afferri poteſt, quòd earum rerum quæ ad mores pertinent, nemo poſſit planè evidentem, ſed tantùm moraliter certam ſibi notitiam comparare, graviſſimis illam ſcilicet rationibus, hominumque peritorum teſtimonio, atque autoritate innixam. Quamobrem notitiâ hujuſmodi ſapienter ducimur, reique propoſitæ tutò fidem adhibemus, tùm quòd probè intelligamus non poſſe nos rei veritatem certioribus indiciis aſſequi, tùm quòd ratio-

XLIX Ad actũ Religionis exercendum requiritur ſolũ moralis certitudo veritatis objectivæ.

Digitized by Google

nes illæ ac teſtimonia quibus nitimur, idonea ſint ad fidem viri ſapientis obtinendam. Jamveró planè contendimus, viro catholico, qui Miſſæ ſacrificio intereſt, non naturali quidem, ſed morali illâ evidentiâ conſtare, ſpecies eſſe ritè conſecratas. Movetur enim ad illud exiſtimandum optimis rationibus, petitis videlicet à Sacerdotis poteſtate; à ſingulari illâ, quam Romana Eccleſia ſuis in ritibus adhibere ſolet, diligentiâ; à conſenſu cæterorum catholicorum idem cum illo ſentientium: aliunde verò nulla ſubeſt cauſa legitima hanc ſpecierum conſecrationem in dubium revocandi. Quare illud certum ratumque habere debet; nec minùs prudens ac conſiderata erit illa perſuaſio, quàm dum vir ſapiens exiſtimat, parentem hunc eſſe ſuum, principem illum, alium Magiſtratum publicæ rei adminiſtrandæ, aut juri dicundo à Rege præpoſitum.

L. Poſitâ itaque prudenti illâ perſuaſione, de conſecratione ſpecierum; aſſero planè quod à me ſecundo loco pròpoſitum eſt, Chriſtum intra hujuſmodi ſpecies adorandum; cultumque illum nec prophanum nec ſuperſtitioſum, ſed verè Religioſum eſſe; quamvis ſingulari & inopinato aliquo caſu, nec ſpecies eſſe ritè conſecra-

Digitized by Google

tas, nec Chriſtum in illis præſentem adeſſe contingeret. Ratio autem illa eſt, quòd ex prudenti hac perſuaſione res humanas agi neceſſe ſit, & ſapientum conſilia dictaque ad eam velut certiſſimam morum Regulam dirigantur. Ac licet aliquando nos illa falleret, non peccabimus tamen, dum in rebus gerendis ducem ſequemur optimam, dum rectæ rationis ille radius noſtris conſiliis prælucebit. Si nos falli fortè contigerit, error ille erit animi, non vitium voluntatis. Enim verò filius paucorum hominum teſtimonio inductus parentem agnoſcit ſuum; debitor æs alienum & familiæ diſſolvit nomina relata in tabulas, ſignis fortè adulterinis, obſignatas; Chriſtianus ſtipem erogat pannoſo homini ſuam egeſtatem profitenti. Liceat, inquam, hominibus illis hujuſmodi teſtium autoritate permotis, Miſericordiæ, Pietatis, Juſtitiæque opera præſtare; viro autem catholico gravioribus longè teſtimoniis excitato nefas ſit exiſtimare, adhibitos à Sacerdote illo ritus omnes, ad conſecrandas ſpecies Chriſtianâ lege ſancitos; adeóque in iſto, quod proponitur Sacramento, ſuam erga Chriſtum Religionem ac pietatem profiteri? Quamvis debitorem illum, filiumque familias, falſa hæc patris, mendi-

ci, ac creditoris decipiat ſpecies; eo tamen errore nec peribit illis, nec obſcurabitur præſtantiſſimarum virtutum meritum: eſſent imò verò in culpâ ſi officia iſta Pietatis, Juſtitiæque desererent. Pari quoque ratione, licet virum Catholicum circa ſpecierum conſecrationem, Chriſtique præſentiam, errare contingat; nequaquam tamen Religioſæ, quam exhibebit, adorationis laudem ſuus ille error infringet; neque verò culpâ illum eximet, ſi hujuſmodi Chriſto obſequium ac reverentiam denegabit. Neque ſanè æquum eſt, chriſtique dignitati conſentaneum, ut eâ conditione adoretur, ſi præſens adeſt: Satis enim ſuperque eſt conditionem, ut aiunt, virtualem eſſe; Chriſtum ſcilicet adorari quia probè perſuaſum nobis eſt illum ſpeciebus iſtis ſingularibus contineri. Si quæras autem cur liceat Chriſtum Religioſo cultu venerari, non liceat porrò illum fide divinâ præſentem credere in ſpeciebus hiſce ſingularibus; diſcriminis cauſa in promptu eſt, quòd divina fides, cui falſum ſubeſſe non poteſt, notitiam ſibi omnino certam ac minimè dubiam vindicet; cultus verò Religioſus, qui Juſtitiæ pars una eſt, prudentem dumtaxat perſuaſionem

Ad actū fidei requiritur infallibilis certitudo veritatis objectivæ.

nem

nem præſentiæ ac dignitatis ejus, cui reverentiam exhibemus.

Atque hæc ſunt quæ mihi venere in mentem ad Religioſum cultum Euchariſtiæ Sacramento aſſerendum. Ex quibus ſanè intelligetur, & rectè Doctores catholicos ſapienterque ſentire, dum ex Chriſti in Sacramento præſentiâ, adorandum illum eſſe argumentantur; & vehementer Calvinianos hallucinari, qui negant fas eſſe eum in ſpeciebus Euchariſticis adorare; tum quia fieri poteſt ut illæ ritè conſecratæ non ſint; tùm quia periculum eſt ne idem honor Deo Homini, & rebus illis creatis pariter habeatur.

Et quamquam conſtitutum mihi fuerat LI.
ratione dumtaxat agere; facere tamen non poſſum, quin luculenta nonnullorum Patrum adjungam teſtimonia, quibus Euchariſtiæ cultus egregiè confirmatur. Auguſtini ſententiam ſupra innuimus affirmantis *neminem carnem Chriſti manducare niſi priùs adoraverit, & non ſolùm non peccare nos adorando, ſed peccaturos non adorando.* Ab Auguſtino non diſſentit Ambroſius, dum interpretatur verba illa Pſalmi ejuſdem nonageſimi tertii. *Adorate ſcabellum pedum ejus. Per ſcabellum, inquit, terra intelligitur, per terram autem caro*

Aug. tract. 8. in Pſal. 93.

Ambroſ. l. 3. de Spiritu S. cap. 12.

Digitized by Google

Chriſti quam hodie quoque in myſteriis adoramus. Nec minùs illuſtre fuerit teſtimonium Eucherii Lugdunenſis in unâ ex comptiſſimis illis homiliis, quæ falsò Emeſeno Euſebio tribuuntur; ait enim Hom. 5. de Paſch. Chriſtum hominibus *Corpus ſuum, & ſanguinem epulandum præbuiſſe, ut coleretur per myſterium, quòd ſemel offerebatur in pretium.*

Statuant igitur viri ſapientes, an non mera illa ſit adverſariorum calumnia crebrò importunéque jactantium, Idololatriæ genus eſſe Euchariſtiæ cultum, ac proinde turpiſſimi flagitii notam ſubire eos qui Miſſæ ſacrificio interſunt, ubi cultus ille potiſſimùm uſurpatur; ejuſdemque ſceleris reos eſſe qui ad catholicorum ſynaxes plebem alliciunt, compelluntque in ipſam Eccleſiæ Romanæ diſciplinam, quæ ritum à chriſtianis moribus maximè alienum præcipit, celebrat, profitetur. Verùm quoniam in Catholicorum cætibus, non modò Euchariſtiæ Sacramento ſed ſua etiam imaginibus reverentia exhibetur, operæ pretium eſt ab eo cultu crimen omne, ipſamque adeò Idololatriæ ſuſpicionem amoliri.

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

DE CULTU CRUCIS & Imaginum Chriſti.

VINDICATO, ab Idololatriæ crimine, cultu Religioſo, quo Eccleſia Catholica Sacramentum Euchariſtiæ veneratur; dicendum modò de reverentiâ quam adverſus Crucem & Chriſti Imagines adhibet, docendúmque eo cultu nihil chriſtianæ pietati diſſentaneum contineri. I.
Equidem, cùm inter nos & Calvinianos, de adoratione Euchariſtiæ diſceptatur, quæ nobis tribuunt principia ultrò ac libenter admittimus, conſectaria negamus. Fatemur Latriæ cultum à nobis auguſtiſſimo Sacramento exhiberi, ſed, eo nomine, Idololatras eſſe nos, penitùs diffitemur. Cùm autem de Imaginum cultu agitur; tùm quæ nobis affinguntur principia, tùm quæ ex iis principiis deducuntur, planè inficiamur. Negamus ullum Latriæ

cultum imaginibus tribui, adeôque eſſe nos, quod tantopere exaggerant, earum ſervitio, ac rerum creatarum famulatui turpiter mancipatos.

II. Atque ut certiſſimè pateat hujus rei veritas, quam Doctoribus Calvinianis hactenus curæ fuit diſſimulanter obtegere, ad veterem illam Romanæ Idololatriæ opinionem plebis in animo penitus confirmandam, placet Idololatriæ naturam, ad mores & doctrinam Romanæ Eccleſiæ, paulò attentiùs explorare. Cùm enim commentitia illa ac toties decantata Idololatria ex iis duobus capitibus maximè arguatur; ex iis ipſis commentum everto, oſtendóque ex doctrinâ & moribus, ſive ex doctrinâ & uſu Romanæ Eccleſiæ meram illam eſſe calumniam, quâ illi invidioſum Idololatriæ crimen impingitur. Et quoniam in Chriſti Imaginum Cruciſque cultu, negotium præcipuè vertitur; ubi timendum videatur nè divini honores qui exemplari tribuuntur, ad imaginem quoque pertineant; placet ab eo ipſo loco diſputationem ita ordiri, ut intelligant adverſarii, nec mollire nos, nec ſubterfugere difficiliores nodos, qui vel incidunt, vel ab ipſis injiciuntur.

III. Aio itaque, cùm Crucem, Chriſtique

Digitized by Google

Imaginem oſculamur, coram illis venerabundi procumbimus, aut thura cereoſque incendimus, hujuſmodi cultum Idololatriæ nomen ſubire non poſſe; ſive motus ipſe animi, ſive res, quæ colenda proponitur, attendatur. Uno verbo, nec Imago quæ colitur Idolum eſt, nec Latria cultus ille qui Imagini exhibetur. Idololatria eſt cultus Latriæ Idolo exhibitus.

Primò quidem Chriſti Imago nequaquam Idolum eſt, nec unum aliquod ex prophanis illis ſimulachris divinarum laudum æmulis; quæ honores Deo uni debitos, temerè ſibi ac nefariè vindicabant.

Idola Brutæ erant mutæque effigies, & cõflata ex ære, aliove metallo, aut ex ligno, & lapide ſimulachra, quibus veteres Ethnici vim aliquam divinam, & beneficam poteſtatem ineſſe exiſtimabant; aut quæ ſaltem, velut imagines habebant virorum quorundam inſignium, quos Deorum in numero reponebant. Quid ſit Idolum.

Atque illa eſt germana Idolorum forma & notio, juxta mentem Auguſtini, aliorumque Patrum, & Scripturæ ipſius ſenſum, ut ex dicendis inferiùs, perſpicuè intelligetur. Atenim Eccleſia Catholica in Imaginibus vim hujuſmodi divinam ac poteſtatem nullam agnoſcit. Hæc enim Concilii Tridentini concepta ſunt verba. *Non* Aug. l. 4. de civit. c. 10. l. 7. c. 5. l. 8. c. 13. Euſ. de præp. Evang. c. 2. l. 8. Imagines Chriſti non ſunt Idola.

quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam ſint colenda, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant. Præterea cultus omnis, qui Chriſti Imaginibus exhibetur, non refertur ille quidem ad cõmentitium fictumque numen, cujuſmodi fuiſſe conſtat gentiũ Deos; ſed ad Chriſtum ipſum, Deum verum & hominem, quem Calviniani æquè ac Catholici, velut ſummum rerum omnium opificem ac moderatorem venerantur.

Concil. Tr. ſſ. 25. de Inv. Ss.

Ex quibus ſanè, meridianâ luce clariùs patet nec Chriſti imagines Idola eſſe, nec earum cultum illi ſimilem quem Ethnici olim Deorum ſimulachris exhibebant. Quæ argumentatio adeo efficax & plana eſt, ut mirum ſit quas in anguſtias ſe conjecerint

IV. adverſarii, ejus ut vim & impetum declinarent. Ex iis enim emergendi viam hanc unam & rationem inierunt, ut dicerent Eccleſiam Romanam, quamvis nullam in imaginibus virtutem ac poteſtatem Divinam collocaret, & animus ſolùm eſſet, Chriſtum in illis venerari, notam tamen Idololatriæ nequaquam effugere; cum Idololatriæ genus quoddam ſit, Deum creatis in rebus venerari, ſeu res creatas ad Dei cultum adhibere.

Digitized by Google

Cujus rei confirmandæ gratiâ, duo ſtatuunt, quæ ſuprà innuimus, non incredibilia minùs & à ſenſu communi aliena. Unum eſt, veteres Ethnicos, qui Idolis, poſitis genibus, aut fuſis humi corporibus, ſupplicabant, non adeò fuiſſe rerum imperitos, ut in ligneis ac lapideis ſimulachris vim divinam aliquam ſuſpicarentur; ſed vel ipſa tamquam Emblemata & Deorum ſuorum effigies, vel quod Calvinus ait, latentem in iis dumtaxat divinitatem coluiſſe. Alterum, Hebræos qui Divinos olim honores vitulo aureo detulerunt, non adeò rudi fuiſſe ingenio, ut vim ullam divinam ac poteſtatem tribuerent ſimulachro, quod ſuis ipſi manibus fabricaſſent. Hanc unam fuiſſe eorum mentem, ut Deum Optimum, Maximum, qui nuper eos Ægypto eduxerat, ſub vitulinâ illâ ſpecie adorarent. At eos Idolatriæ ac violati numinis reos nihilominùs extitiſſe, propterea quòd Deum in opere fictili colerent, & ad ejus cultum re creatâ abuterentur. Atque illa ſunt Doctorum Calvinianorum commenta, quibus, ſi ſuperis placet, conantur Eccleſiæ Catholicæ alumnos Idolorum cultoribus accenſere.

Præf. a. 6 Calvin. inſt. l. 1. c. 11. §. 9.

Hæc dùm ego apud Calvinum legerem, putabam eſſe è fæce conviciorum illorum,

quibus homo pudoris expers ſolitus eſt Romanam Eccleſiam onerare: ſed riſum continere vix potui, cùm eadem vidi, totidem penè verbis, à miniſtris recentioribus uſurpata; qui tamen & limati in ſcribendo judicii, & gravis ac politæ orationis gloriam conſectantur. Auxit verò admirationem, illorum hominum confidentia, qui cum ineptias hujuſmodi è magiſtrorum libris expungere debuiſſent, eas velut oracula venditant, ac, ſi neceſſe foret, demonſtraturos ſe certiſſimè pollicentur.

Voſſius de Theo. Gent.

Iur. a. 4. a. 6.

V. Quid Ethnici in Idolis, quid Hebræi in vitulo aureo coluerint?

Et quoniam, remoto joco, res ſeriò agenda eſt, ab Idololatriâ Gentium ducamus initium, atque à Juriæo Doctore percontemur, quâ demùm arte præclaram demonſtrationem confecturus eſſet, ſi certiſſimè, ut ait, probandum aggrederetur, Ethnicos, qui Idola ſupplices venerabantur, eorum oracula conſulebant, thure illis, hoſtiiſque litabant; nequaquam ea Deorum inſtar coluiſſe, nec divinam iis vim ullam poteſtatemque tribuiſſe? contenderet nimirùm, quod pluribus in locis „adducit, nullibi terrarum, gentem ali-
a. 4. §. 6. a. 6. „quam extitiſſe adeò rationis expertem, „quæ ipſum argentum, aurum, & mar„mor, ex quibus ſtatuæ compactæ erant,

Digitized by Google

„ cultu & honore Divino; ipſas verò ſtatuas deorum appellatione ac nomine dignaretur. Hoc enimverò negat ille nullâ idoneâ nixus ratione; nos contrâ aſſerimus freti ſacrorum librorum & ſanctorum Patrum teſtimonio, ex quo planè conſtat, eò uſque, complurium omnis generis hominum inſanam temeritatem ac demen-
„ tiam prorupiſſe. Addet inſuper, æquum
„ eſſe, nos de hominibus eadem nobiſcum
„ ratione utentibus, benigniùs rectiúſque
„ ſentire: hoc eſt, non debere nos exiſtimare, homines ingenii acumine, judiciique ſolertiâ ac ſagacitate nobis haud inferiores, in eos errores eſſe prolapſos, qui hac ætate, à nobis, inſaniæ & ſupinæ ingenii tarditatis arguuntur.

VI. Homines ingenioſi multa interdũ opinantur quæ ſunt rationi cõtraria.

Præclaram ſcilicet argumentationem! ex quâ conſequitur homines ratione & communi naturæ ſenſu præditos, nunquam à ratione ſenſuque communi aberrare; præſertim in causâ Religionis in quâ tamen conſtat viros cæteroqui doctos, ac ſapientes, turpiter hallucinatos? An non ſingulos homines natura ipſa ac ratio docent Deum eſſe unum, eundemque primum cauſarum omnium, ac naturale principium: Deorum multitudinem cum verâ germanâque Dei notitione pugnare: divinâ mente,

Digitized by Google

ſapientique numinis providentiâ mundum adminiſtrari : immortalem eſſe hominis animum , ac niſi illo immortalitatis munere frueretur , beatæ vitæ perennitatem , quam cupidiſſimè expetit , nunquam aſſecuturum ? earum certè rerum notitiam ita in omnium animis natura impreſſit , ut à communi prorſus naturæ ſenſu ac ratione deficiat quiſquis eas aut negaverit , aut in dubium revocarit. Quot tamen præclara , ut ſibi quidem videbantur , acutàque ingenia Deum eſſe dubitarunt ? Quot Philoſophis viriſque Doctis perſuaſum fuit , eum nec rebus humanis conſulere , nec regi naturam ejus numine ac poteſtate ? Quot ſapientes virique Politici Deorum multitudinem invexere ? Quot immortalem eſſe hominis animum pernegarunt ? Quæ rationis ac naturæ inſita vis nullam Idolis ineſſe divinitatem ſuadebat , admonebat eadem,unam eſſe Dei ſingularemque naturam, Cùm autem , adverſante licet vi illâ animi ac rationis , auſi ſint divinam naturam , modò nullam , modò multiplicem opinari , cur non potuerint illam extraneis creatiſque rebus affingere ?

VII. Ægyptios equidem conſtat liberalium artium & diſciplinarum inventores ac principes extitiſſe ; Perſis acuta fuiſſe ingenia

omnique humanitate polita ; Romanos eloquentiæ ac ſapientiæ laude,præter cæteros populos, floruiſſe.Hîc verò ab adverſariis liceat ſciſcitari, quî fiebat ut Ægyptii omnium artium diſciplinis eruditi, Bovi & Crocodilis,potiùs quam Leonibus & Aquilis longè præſtantioribus animantibus divinos honores tribuerent? Cur Romani ac Perſæ ingenio illi quidem, gravitate, ſapientiâque clariſſimi, præ majoribus ſtellis aliiſque ſideribus extimo cœlo infixis, ſolem potiſſimùm venerarentur? Eam certè unam ob cauſam quòd perſuaſum eſſet illis, ineſſe rebus, quas præcipuè colerent, divinam aliquam vim ac poteſtatem, quibus omninò carere res alias arbitrabantur. Addo denique, in gratiam eorum Heterodoxorum qui Sapientiæ libros in Chriſtianæ fidei Canonem referunt, graviſſima certiſſimáque ex capite decimo tertio, & decimo quarto teſtimonia peti, ad redarguendum illud de Ethnicorum Idola colentium rectâ ac ſincerâ mente cõmentum.

VIII. Contemplatus enim Salomon unum aliquem Idolorum cultorem, qui ex ligno aut lapide, ſuos ad uſus finxit & fabricatus eſt Deum, *appellarunt*, inquit, *Deos, opera manuum ſuarum. Confidunt in Idolis quæ ſine animâ ſunt*. Ex quibus ver- Sap. c. 13.

bis planè conſtat res in quibus homines illi ſpem atque fiduciam collocabant, vitâ prorsùs & ſpiritu caruiſſe; ac proinde nec Deo vivo & vero confidiſſe illos, nec ipſis Gentium Diis quos in cœlo, vitâ, ævóque ſempiterno frui perſuaſum habebant. Confidebant itaque mutis illis, ac exanguibus ſimulachris; adeóque numine aliquo ac divinâ poteſtate, cui fiducia vulgò innititur, prædita illa exiſtimabant. Nec minùs

Sap. c. 13. v. 13. 17. 18. locus alter qui ſubditur;ad rem noſtram videtur accommodatus. *Lignũ curvum ſculpat diligenter... & aſsimilet illud imagini hominis... non erubeſcit loqui cum illo qui ſine animâ eſt; & pro ſanitate quidem infir-*

c. 14. v. 29. *mum deprecatur, & pro vitâ rogat mortuum.*

Liceat jam ſuperioris argumentationis formam hunc in locum revocare. Si iſti Idolorum artifici & cultori animus tantùm eſſet, in votis precibuſque, Deum Optimum Maximum, aut Deos gentium, compellare; ei certè hujuſmodi precatio nequaquam dementiæ verteretur: neque enim à ratione & ſanâ mente alienum eſt rogare illos, quos credas vivere, imò vitam beatam & immortalem in cœtu cæleſtium propagare. Quamobrem, dum Scriptura ſacra dementiæ nomine precationem

illam exagitat ; apertè indicat iſtorum hominum eam dumtaxat fuiſſe mentem, ut mutis hiſce ac inertibus ſimulachris ſupplicarent ; ſuiſque in calamitatibus certam ab eis opem auxiliumque expoſcerent.

Quamvis hæc Scripturæ loca ſatis ſuperque demonſtrent quæ fuerit mens Ethnicorum Idola colentium, ſi cui tamen res adhuc dubia videretur; adeat ille antiquiores Eccleſiæ Patres, qui cum ultimis ruentis Idololatriæ temporibus vixerint, Ethnicorum ritus & mores perſpectiſſimos habuerunt. Illi autem; Tertullianum dico, Arnobium, Euſebium, & Auguſtinum, conceptis verbis aſſerunt Ethnicos interdum ſuis in Idolis viros inſignes coluiſſe, quos res ab ipſis præclarè geſtæ in cæleſtium Concilio collocaſſent; interdum Idolis hujuſmodi, numen & mentem aliquam affinxiſſe; ſeu familiaris genius ille fuerit, ſeu anima, ſeu divinitatis particula, ut fusè idem Auguſtinus diſſerit libro ſeptimo & octavo de civitate Dei. Ut ut eſt, inquit ſanctiſſimus Doctor, dum Ethnici mutis & inertibus ſimulachris divinos honores tribuunt; *ea certè ſine vivo aliquo habitatore eſſe non putant.*

IX. Tert. l. de Idol. Euſeb. l. de præp. Evang. c. 8. Aug. l. 7. de civit. c. 5. & l. 8. c. 24. Arnob. contra gent. c. 1.

In eo planè delirabat Rex ille Babylonis, qui perſuaſum Danieli volebat, Belis Ido-

lum Deum eſſe vivum ac ſpirantem; quòd diebus ſingulis ingentem voraret ciborum copiam, quæ illi epulanda apponebatur.
Dan. c. 14. *Non videtur tibi* aïebat, *eſſe Bel vivens Deus? An non vides quanta bibat & comedat quotidie*; Putabat nimirùm emortuum, in ſpeciem, atque exangue ſimulachrum, vitali quodam ſpiritu occultâque vi foveri, quæ celerrimè cibos ingeſtaque alimenta concoqueret.

X. His ita cônſtitutis, pergant ſcilicet exclamare adverſarii, quæ homines rationis & conſilii compotes tanta invaſerat dementia, ut crederent, ineſſe divinum aliquid ſtipiti & ſaxo, ex quibus ſimulachrum, ſuis ipſi manibus, effinxiſſent? Verùm cùm gentium Apoſtolo reponemus, ad comprimendam, frangendamque hominum illorum ſuperbiam, ſapienti Dei conſilio, factum eſſe, ut in hæc flagitia prolaberentur; & qui *dicerent ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſint & mutaverint glo-*
Rom. 1. v. 22. *riam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis hominis.* Quo rurſum intelligeretur præſtantiſſima acutiſſimáque ingenia divino orbata lumine, in rebus ad Religionem ſpectantibus cæcutire; *& ſapientiam*
1. Cor. 3. v. 19. *hujus mundi ſtultitiam eſſe apud Deum.* Addemus ex eodem Paulo, depravatis cor-

ruptiſque moribus, *ita obſcuratum eſſe inſipiens cor eorum*, ut adverſante licet rationis, ipſorumque oculorum perſpicacitate, Divinæ in Idolis poteſtatis indicia intueri ſibi viderentur. Subjiciemus denique ex Cypriano & Auguſtino meram illam Dæmonum fuiſſe fallaciam, qui dum incerta dubiaque ex idolis oracula funderent; miſellis hominibus ſuadebant impleri illa numine aliquo, divinóque inſtinctu ac ſpiritu concitari.

Rom. 1. 2. *Cyp. l. de Idol.* *Aug. l. 8. de civ. c. 24.*

En ſanè, Ethnicos inter & Catholicos, certiſſimum ac palmare diſcrimen; quòd Catholici in ſacris Imaginibus nequaquam eam vim & divinam poteſtatem agnoſcant, quam Ethnici idolis & inanium deorum ſimulachris tribuebant.

XI. Nec majori negotio alterum Calvini & aſſeclarum commentum evertitur; nempe Hebræos veteres, eo tantum conſilio ,, vitulum aureum conflaviſſe, ut ſub ſpe- ,, cie hujuſmodi animantis, Deum Opti- ,, mum Maximum, Ægypti domitorem ,, ſuæque libertatis vindicem adorarent. ,, Quantumvîs tamen ſincerâ rectâque ,, mente ducerentur, habitos nihilomi- ,, nus illos Idololatriæ & læſi numinis reos, ,, eo dumtaxat nomine, quòd rem creatam, ,, & aſpectabile ſimulachrum ad Dei cul-

Calvin. Inſt. l. 1. c. 4. præfer. n. 4.

tum adhiberent. Ex quo videlicet acuti homines colligunt, quamvis Catholicis animus ſolùm eſſet, Chriſtum Deum & Hominem in Imaginibus colere, nequaquam tamen illos Idololatriæ nomen effugere, propterea quòd, dum Deum cogitant, creatam reverâ Imaginem venerentur.

Verùm hujuſmodi commentum Scripturæ Sacræ authoritas tam apertè redarguit, ut mirum ſit homines, qui ſummam erga divinum ſermonem reverentiam præ ſe ferunt, auſos eſſe tam luculentis Scripturæ teſtimoiis refragari. Ex illis ſiquidem liquidò patet, non aliam Hebræis fuiſſe mentem quàm ut Deos illos colerent qui ab aliis gentibus, & nominatim ab Ægyptiis colebantur. Legatur Canticum Moy-
Deut.32. ſis in Libro Deuteronomii. *Immolaverunt Dæmoniis & non Deo, Diis quos ignorabant. dereliquit Deum factorem ſuum, receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Ac nè quis fortè exiſtimet, eos & vota quæ nuncupabant, & cædem victimarum, quibus vitulo litabant aureo, ad Dei cultum retuliſſe; Scriptura ſubjicit, eo ipſo tempore, quo ſacra impia faciebant, oblitos jam illos Dei Optimi Maximi, qui nuper ipſos in libertatem à
Pſ. 105. ſervitute Ægyptiacâ vindicaſſet, *Adoraverunt ſculptile, & obliti ſunt Deum qui*

ſalvabit

ſalvavit eos .... ac rursùm , obliti ſunt Deum qui ſalvavit eos , qui fecit mirabilia in Ægypto. Qui Deum utique obliti erant, nec ſanè de eo, nec de honore ipſi debito cogitabant.

Atque, ut telum, quod contra nos adverſarii intorquent, in ipſos opportunè retorqueam; aïo ex eo etiam Exodi loco, quem nobis opponunt, planè colligi Hebræos Idololatras veniſſe jam in oblivionem Dei liberatoris, cùm videlicet excitato vitulo aureo, his verbis, ſe invicem compellarent. *Hi ſunt Dii tuì Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Credi vix poteſt, inquiunt Authores Calviniani, gentem illam Diis extraneis libertatem ſuam acceptam retuliſſe; cùm vero haud ſimile videatur, tam brevi tempore, tùm Deum Optimum, Maximum, tùm prodigia nuper ab eo patrata, memoriâ illi, atque animo excidiſſe. Ita adverſarii. Nos contrà ratiocinamur. Credendum eſt gentem illam libertatem ſuam diis extraneis acceptam retuliſſe, cúm Prophetæ unius teſtimonio certiſſimè conſtet, jam illi, tùm Dei Optimi, Maximi; tum miraculorum quæ in Ægypto patrarat, memoriam penitùs excidiſſe. Hîc viri ſapientis judicium eſto, utra argumentatio aptior, & ad rem ma- XII. Ex. 32. v. 4.

M

gis idonea ſit, noſtráne, an adverſariorum? Illi ex privatâ opinione quam habent Hebræorum probitatis, nos ex certiſſimo Scripturæ teſtimonio, eorum mentem ac voluntatem interpretamur.

XIII. Hebræi Deum verum non coluere in aureo vitulo. Prob. tripl. conjectura.

Præterea nemini chriſtiano dubium eſt quin Hebræi, dum Ægyptiorum contubernio ac conſuetudine fruerentur, exiſtimaverint gentem illam veri Dei notitiâ orbatam eſſe, & extraneorum, falſorumque numinum cultui mancipatam. Illud autem ex eo colligebant, quód ſuis ipſi oculis uſurparent ſacrificia Api', ſic bovis effigiem nuncupabant, ſtatis temporibus fieri ſolita; Api inquam, quem Ægyptiorum fuiſſe numen Scriptores ſacri prophanique conſentiunt.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Gen. 1. 26. 26.

Et verò, ſi in aureo ſimulachro ſignoque conflando, Dei unius cultus propoſitus illis fuiſſet, Deum utique ſub hominis ſpecie coluiſſent; cùm ſcirent eam veram eſſe expreſſamque ejus imaginem; ipſumque ſive Deum, ſive Angelum, Dei perſonam numenque gerentem, non vituli quidem ſed hominis formâ indutum, non ſemel ſpectandum ſe eorũ olim majoribus præbuiſſe.

Denique niſi mores & prophanos Ægyptiorum ritus imitari voluiſſent, cur effigiem bovis, qui numinis loco ab Æ-

gyptiis habebatur, potiſſimum effinxiſſent? aut ſi Deum unum ſuis in operibus colendum ſibi propoſuiſſent, cur non Aquilæ, Leonis, atque Elephantis effigiem adhiberent, animantium equidem longè præſtantiorum, quarum in formâ atque indole, ſummus rerum Opifex illuſtrioria impreſſit ſuæ poteſtatis numiniſque veſtigia?

Quæ de Ethnicorum Hebræorumque Idololatriâ adverſus Eccleſiæ Romanæ obtrectatores à me hactenus dicta ſunt, eò ſpectant ut præcipua duo hujus noſtræ ſententiæ capita ſtatuantur. Unum eſt, Catholicos in cultu Crucis Chriſtique imaginum, ab Ethnicorum moribus maximè diſcrepare. Ethnici enim Deorum ſuorum ſimulachris divinam vim ac poteſtatem inſitam eſſe delirabant, aut ſaltem cultum hujuſmodi ad falſa & commentitia numina referebant. Catholici verò ut ex Trident. Concilio ſupra retulimus, non credunt *ineſſe aliquam* in Chriſti Imaginibus *virtutem vel Divinitatem*; cultuſque omnis quem illis exhibent, Chriſtum unum reſpicit, quem omnes verum ac naturalem Dei filium profitemur.

XIV. Diſcrimen inter cultum Imaginum Chriſti, & Idolorum.

Seſſ. 25.

Alterum, quòd, cùm Eccleſia Romana nec vim divinam ac poteſtatem Imagini-

Digitized by Google

bus ullam tribuat ; nec iis utatur ad falſi cujuſpiam numinis formam & ſpeciem exprimendam ; nemo ſanè æquus rerum æſtimator, aut imagines Idola, aut earum cultum Idololatriam appellet.

XV. Cultum Imag. Chriſti non eſſe Latriam, prob. ex doctrinâ & diſcip. Eccl. Rom.

Atque ut res ampliùs confirmetur, juvat à materiâ cultûs, ſivè ab Imagine ad cultum ipſum argumentationem convertere ; hoc eſt, ad reverentiæ genus illud quo Crucem & Chriſti Imagines veneramur. Et in primis quidem autorum partis utriuſque concors eſt unáque ſententia, Idololatriam non in eo poſitam eſſe quòd cultus aliquis, ſed quòd Latriæ cultus uni Deo debitus, rei creatæ exhibeatur. Eſt autem Latriæ cultus, ut loquuntur Calviniani recentiores, *Adoratio ſuprema, & voluntarius hominis in nihilum penè interitus*. Quod ſic placet interpretari, ut Latriæ cultus reverà ſit animi motus, quo, cognitâ præſtantiſſimâ conditoris naturâ ac dignitate, ſummoque in res omnes imperio ; nos penitùs ejus poteſtati numinique ſubjicimus, & externâ illâ reverentiâ, arctiſſimam ſervitutem, maximamque, erga illum, obſervantiam profitemur. Hanc veram eſſe germanamque Latriæ notionem Calviniani Authores Catholicique conſentiunt.

Le culte de Latrie eſt l'adoration ſouveraine, & un acte d'aneantiſſement infini de la creature devant le createur. Preſ. a. 9.

Latriæ Germana definitio.

Atenim contendo adverſarios , niſi XVI.
apertiſſimè mentiantur, Romanam Eccleſiam calumniari non poſſe, quòd hujuſmodi cultum Imaginibus Chriſti exhibeat, neque id ullo pacto ex ejus diſciplinâ ritibuſque colligere. Si enim de ejus ritibus & moribus agatur, non facilè crediderim, vel unum eſſe Calvinianum, cui ſeriò perſuaſum ſit Catholicos, non dico doctos & ſapientes, ſed nè agreſtem quidem infimamque plebéculam, adeò obtuſi eſſe ingenii, ut exiſtimet exangues illas mortuaſque effigies, ſummum in res omnes imperium, vitæque ac ſalutis jus & poteſtatem obtinere; adóque velit externâ illâ reverentiâ arctiſsimam ſervitutem & ſingularem erga illas obſervantiam profiteri. Hæc ſanè nemo adverſariorum ſentiat, & ſi maximè ſentiret affirmaretque, næ illi, etiam jurato & Deum atque homines conteſtanti, fides nulla adhiberetur.

Si verò Catholicæ ejuſdem Eccleſiæ doc- XVII.
trina ac ſententia conſulatur, non ea aliundè meliùs petenda eſt, quàm ex decretis Conciliorum œcumenicorum, præſertim Nicæni ſecundi, in quo illa conſtituta ſunt capita quæ circa cultum imaginum, credenda Catholicis proponuntur. Atenim

Concil. Nic. 2. act. 6. in def. fidei & act. 4.

τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν, ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει.

Concil. Nicænum conceptis verbis aſſerit Imaginibus *Exhibendam ſolùm honorariam adorationē, non veram Latriam, quam fides doceat ad ſolam divinam naturam pertinere.* Præclarū inſuper Divi Germani Patriarchæ Conſtantinop. cōmendat effatum, *vt Deum vnum, fidem vnam, vnū Baptiſma, ita unū eſſe Latriæ cultum, qui Deo vni exhibeatur.* Demùm ex ea fidei formulâ in quam jurare tenebantur, qui ſe ab Hæreticorum caſtris in Eccleſiam recipiebant, ſic eos voluit profiteri. *Imagines ſuſcipio & veneror, non ut Deos.* Quaſi dicerent, nequaquam Imagines, eodem quo Deum Optimum, Maximum, honore proſequimur.

Defenſio ſecundi Conc. Nicæni adverſus calumnias Calvin.

Hîc ego appello viros ſapientes omni partium affectu liberos, ut ſtatuant ipſi, quid ſentiendum ſit de rectâ bonâque Calvini fide, qui dum Concilio Nicæno ſecundo Idololatriæ actionem intendit, loca modò memorata, ad Calumniam redarguendam inſignia illa quidem ac luculenta, diſſimulanter omittit. Deinde cùm numeroſiſſimæ Synodi mentem, ex ejus decretis & fidei formulâ interpretari debuiſſet, placuit ſcilicet eam elicere ex obſcuris ambiguiſque unius aut alterius Epiſcopi verbis, ſententiam, ordine ſuo, liberè ingenuéque dicentis. Et, quòd ſuperat

omnem fidem, ut faciliùs fucum faciat hominibus malè credulis, qui non habeant in poteſtate ſacrorum Conciliorum volumina ad fallaciam detegendam, ea ipſa Patrum illorum verba ita detorquet, ut contra quàm ſenſerint ac dixerint, eos planè loquentes inducat.

Qui omnium maximè vocatur in crimen Conſtantinus Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, latriæ quidem nomen uſurpavit; ac, ſi Calvinum audiamus, exiſtimare omnino viſus eſt, Imaginibus illam, non ſecus ac Deo Optimo Maximo exhibendam. Verùm ut fraus clariſſimè pateat, juvat obſignatis agere tabulis, & cum Calvini verbis germana Conſtantini verba componere. XVIII

Sic itaque loquitur Calvinus. Conſtan„ tinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus ſeu „ Imagines reverenter amplecti profitetur; „ cultumque honoris, qui vivificæ Trini„ tati debetur, illis ſe exhibiturum confir„ mat; quiſquis idem facere recuſaverit, „ eum anathematizat, & ſimul cum Manichæis & Marcionitis amandat. Conſtantinus autem Epiſcopus reipsâ ſic ait, „ ſuſcipiens & amplectens reverenter ſanc„ tas & venerabiles Imagines; atque ado„ rationem quæ per latriam, hoc eſt Deo

Inſt. l. 1. cap. 3. §. 39.

Concil. Nic. 2. Act. 3.

„ debitam ſervitutem efficitur ſoli, ſuper
„ ſubſtantiali & vivificæ Trinitati impen-
„ dò. Et qui ita non ſentiunt à Sanctâ Ca-
„ tholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ ſegrego &
„ Anathemati ſubjicio.

Hîc rursùs à viris probis & ſapientibus ſciſcitari velim, an non mera Calvini calumnia illa ſit ſapientiſſimum præſulem eo nomine criminantis, quòd voluerit eumdem Latriæ cultum Sanctiſſimæ Trinitati, imaginibuſque deferri; dum ille conceptis verbis aſſerit, tribuere ſe quidem Imaginibus honorem aliquem, at Latriæ cultum uni ſummæ Trinitati exhibere? Cùm veritas hujuſmodi mendaciis oppugnatur, obſcuratur illa quidem in animo multitudinis imperitæ, ſed illuſceſcit eò clariùs viris ſapientibus & doctis, indignantibus ſcilicet, ſibi imponi, & quod ratione nequeat, malis artibus perfici.

XIX. His tamen artibus Orbi chriſtiano hactenùs illuſum eſt, contendentibus adverſariis, in fide Calvini, Concilium Nic. ſecundum, ipſamque adeò Romanam Eccleſiam ejus veſtigiis inſiſtentem, Idololatriæ labe fœdatam. Quâ in re mirùm ſanè videatur nullius omninò Calvinianæ diſciplinæ Miniſtri, vel tantam fuiſſe ſagacitatem, ut Conciliorum noſtrorum lectione fal-

Digitized by Google

laciam ipſe detegeret ; vel tam rectam ſinceramque mentem, ut alios ab errore deduceret , palamque & ingenuè conteſtaretur, ſe à Calvino ſimul omnes in fraudem eſſe inductos.

Conſtat autem ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, Eccleſiam Romanam Imagines venerantem , idololatriæ culpâ eſſe prorſus immunem. Ut enim idololatriæ notam ſubeat aliquis, Latriæ cultum rei creatæ exhibeat neceſſe eſt; ad hujuſmodi verò Latriæ cultum pertinet, ut exiſtimet, rem illam, ſummum in res alias dominatum & imperium obtinere ; velitque externa illâ reverentiâ, ſe penitus ampliſſimæ huic poteſtati imperioque ſubjicere. Atenim contendo ab Eccleſiâ Romanâ nuſquam doceri , fas eſſe homini Chriſtiano Latriæ cultum imaginibus tribuere ; contendo, inquam , neque ex ejus doctrinâ, neque ex ejus moribus & diſciplinâ , vel ſuſpicioſè argui poſſe, agnoſcere illam in exanguibus ſimulachris divinam hanc poteſtatem, ſummumque rerum omnium dominatum. Probandum tamen hoc ipſum adverſariis foret, ut Eccleſiæ Romanæ certum idololatriæ & divini juris violati crimen inferrent. Quod efficient certè nunquam, quaſcumque injiciant tricas, quantumcumque

pulverem ac caliginem clariſſimis alioqui rebus offundant.

XX. Et verò, hujuſmodi Latriæ cultus in hoſtilibus caſtris animorum diſcordiam concitavit. Calvinus enim confidentiſſimè aſſerit Catholicos vim divinam aliquam in Imaginibus opinari, eiſque verum Latriæ cultum, eamdem ſcilicet quam Deo Optimo Maximo reverentiam, impertire. Recentiores autem ſectæ Miniſtri ſibi planè non conſtant. Modò ſiquidem fatentur nequaquam videri nos adeo ſensûs communis ac rationis expertes, ut divinam vim ac poteſtatem ligneis lapideiſque Imaginibus tribuamus; ac licet earum adorationem, noſtramque ut vocant, ſervitutem invidioſè criminentur, Latriæ tamen ſervitutem appellare non auſint. Modò in Calvini ſententiam eunt, & librorum Eccleſiaſticorum, imò unius aut alterius è Doctoribus noſtris, teſtimonio freti contendunt, in Cruce ſaltem vim, nos aliquam ſalutarem ac beneficam revereri, eamque omnino Latriæ cultu atque honore dignari.

Ut hominibus iſtis omnis tandem dubitatio eximatur, perſpectumque illis penitus exploratumque ſit, neque Idololatras eſſe nos, neque Religionem ullâ ex parte

Digitized by Google

cultu Imaginum violare, expono breviter naturam adorationis illius, quæ Deo uni debetur, ac vulgò Latria Dicitur; ex quo liquidò intelligetur quòd demum adorationis & honoris genus Imaginibus aliiſque interdum rebus creatis liceat exhibere.

Priùs tamen obſervare juvat, quibus in anguſtiis verſetur Calvinus, qui cùm ipſum Eccleſiæ Catholicæ dogma accuratè perpendere, & ad vivum explorare debuiſſet, tricis apiniſque immoratur, ea vocabula reprehendens, quibus illa utitur, ad diſtinguendos gradus varios honoris ac reverentiæ quam divino numini, ſanctis, eorumque imaginibus exhibemus. XXI.

Cùm enim maximum à nobis ſtatuatur diſcrimen, inter genus illud obſervantiæ, quo Deum Optimum, Maximum, & quo res creatas reveremur ac colimus; majoribus noſtris viſum eſt, quam præſtantiſſimæ Dei naturæ tribuimus, Latriam nuncupare, Duliam verò, quàm cælitibus Dei quidem amicis, ſed clientibus ac famulis impertimus. Cùm autem Græco idiomate Latriæ ac Duliæ vocabula idem omninò ſignificare videantur, cultum videlicet illum quo aliquâ dignitate antecedentes venerari ſolemus; acerrimè Calvinus Doctores Catholicos inſectatur, quòd Dei, Sanctorum-

Digitized by Google

que cultum, res inter ſe maximè diverſas, iis vocibus deſignarint; contenditque non minorem erga ſanctos Duliæ cultu, quàm erga Deum ipſum, cultu Latriæ, reverentiam adhiberi.

XXII. Verùm duo ſubjicio quibus injectæ à Calvino, & recentioribus ſectæ miniſtris, tricæ ac nodi penitùs diſſolvuntur. Unum eſt, priùſquam ulla nobis de hujuſmodi vocabulorum vi ac notione controverſia moveretur, explorandum fuiſſe diligenter ipſum Eccleſiæ Catholicæ dogma; &, ſi quidem conſtitiſſet cultum, quem Sanctis tribuimus, longè inferiorem eſſe cultui quo Deum Optimum, Maximum veneramur; fateri illos certè neceſſe foret, nos probè rectéque ſentire, ſed verbis fortaſſe, minùs idoneis ſententiam noſtram exponere. Ubi verò omninò conſtaret, de vocibus ſolùm controverſiam eſſe, deferbuiſſet illa ſenſim Idololatriæ invidia, acerbúmque in nos odium, & facili negotio partes animis ac Religione diſſidentes in concordiam rediiſſent.

Eccleſ. Cath. ad explicanda ſua dogmata poteſt vocum antiqua- Alterum eſt, iniquiſſimè omninò vocabulorum Duliæ & Latriæ uſum Eccleſiæ Catholicæ vitio verti; quaſi verò in antiquioribus linguis idonea ſuppetant verba, ad ſignificandos Religionis chriſtianæ ritus

ignotos prorsùs hominibus illis, qui vocum nominumque inventores ac Principes extiterunt? Hîc enim uſurpare licet, quod olim ſapienter monuit Romanus Orator; *aut enim*, inquit, *nova ſunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda.* Quarè cum Eccleſia Catholica novum aliquod dogma proponit, aut ignotos Græcis Latiniſque vocum Authoribus ritus inducit, nova ſanè vocabula inveniat neceſſe eſt, aut ad alium uſum ea transferat, quæ à peritis illis artium ac diſciplinarum magiſtris jam uſurpata videantur. Enimverò cum ipſi Ethnici ab uno Dæmone eruditi, in prophanis ritibus ſuis ac cæremoniis appellandis, tantùm ſibi arrogaverint juris, ecquid Chriſtiana Eccleſia à Divino Spiritu ſapientiſſimè imbuta & inſtituta, illud ipſum ſibi non tribuat in Religionis ſanctiſſimæ cærimoniis ac ritibus nuncupandis? Quare cùm illa divino monitu excitata fuerit, ad honorem aliquem ſanctis, eorumque Imaginibus tribuendum, inferiorem illum tamen cultui ac reverentiæ quæ Deo ipſi exhibetur; cumque alia quàm Duliæ & Latriæ vocabula non occurrerent, quibus, reverentia hominibus dignitate præſtantibus impertiri ſolita ſignificaretur, potuit vocum illarum vim

rum vim extendere, aut contrahere.

Tul. Acad. Qu. l. 1.

que cultum, res inter ſe maximè diverſas, iis vocibus deſignarint; contenditque non minorem erga ſanctos Duliæ cultu, quàm erga Deum ipſum, cultu Latriæ, reverentiam adhiberi.

XXII. Verùm duo ſubjicio quibus injectæ à Calvino, & recentioribus ſectæ miniſtris, tricæ ac nodi penitùs diſſolvuntur. Unum eſt, priuſquam ulla nobis de hujuſmodi vocabulorum vi ac notione controverſia moveretur, explorandum fuiſſe diligenter ipſum Eccleſiæ Catholicæ dogma; &, ſi quidem conſtitiſſet cultum, quem Sanctis tribuimus, longè inferiorem eſſe cultui quo Deum Optimum, Maximum veneramur; fateri illos certè neceſſe foret, nos probè rectéque ſentire, ſed verbis fortaſſe, minùs idoneis ſenténtiam noſtram exponere. Ubi verò omninò conſtaret, de vocibus ſolùm controverſiam eſſe, deferbuiſſet illa ſenſim Idololatriæ invidia, acerbúmque in nos odium, & facili negotio partes animis ac Religione diſſidentes in concordiam rediiſſent.

Eccleſ. Cath. ad explicanda ſua dogmata poteſt vocum antiqua-

Alterum eſt, iniquiſſimè omninò vocabulorum Duliæ & Latriæ uſum Eccleſiæ Catholicæ vitio verti; quaſi verò in antiquioribus linguis idonea ſuppetant verba, ad ſignificandos Religionis chriſtianæ ritus

Digitized by Google

ignotos prorsùs hominibus illis, qui vo- rum vim
cum nominumque inventores ac Princi- extende-re, aut
pes extiterunt? Hîc enim uſurpare licet, contra-here.
quod olim ſapienter monuit Romanus
Orator; *aut enim*, inquit, *nova ſunt rerum* Tul. Acad.
novarum facienda nomina, aut ex aliis Qu. l. 1.
transferenda. Quarè cum Eccleſia Catho-
lica novum aliquod dogma proponit, aut
ignotos Græcis Latiniſque vocum Autho-
ribus ritus inducit, nova ſanè vocabula in-
veniat neceſſe eſt, aut ad alium uſum ea
transferat, quæ à peritis illis artium ac diſ-
ciplinarum magiſtris jam uſurpata videan-
tur. Enimverò cum ipſi Ethnici ab uno
Dæmone eruditi, in prophanis ritibus ſuis
ac cæremoniis appellandis, tantùm ſibi ar-
rogaverint juris, ecquid Chriſtiana Eccle-
ſia à Divino Spiritu ſapientiſſimè imbuta &
inſtituta, illud ipſum ſibi non tribuat in
Religionis ſanctiſſimæ cærimoniis ac riti-
bus nuncupandis? Quare cùm illa divino
monitu excitata fuerit, ad honorem ali-
quem ſanctis, eorumque Imaginibus tri-
buendum, inferiorem illum tamen cultui
ac reverentiæ quæ Deo ipſi exhibetur; cum-
que alia quàm Duliæ & Latriæ vocabula
non occurrerent, quibus, reverentia homi-
nibus dignitate præſtantibus impertiri ſoli-
ta ſignificaretur, potuit vocum illarum vim

te factam mortalibus Trinitatis & Incarnationis notitiam, nullum omninò inter ſubſtantiam & ſubſiſtentiam; inter naturam & perſonam, conſtitutum fuiſſe diſcrimen; ſolitáſque vulgò res illas omnes iiſdem vocibus deſignari? Quamobrem Græci Patres Ignatius martyr, Irenæus, Gregorius Nicenus, Epiphanius, ipſéque apud Athanaſium Dionyſius Romanus, aliique qui primis Eccleſiæ temporibus floruerunt, voces ὀσίαν & ὑπόςασιν, tùm ad naturam, tùm ad perſonas divinas indicandas, abſque ullo diſcrimine, adhibebant; donec tandem animadverſum eſt, dum plures ὀσίαι recenſerentur, quâ ratione plures perſonæ numerabantur, hominibus à fide alienis locum dari exiſtimandi, multiplicem in Deo eſſe ſubſtantiam, multiplicemque naturam. Tunc enimverò diverſa vocibus illis, eáque contractior ſubjecta ſententia eſt, placitúmque ut inpoſterum ὑπόςασις ſolam perſonam, ὀσία verò naturam dumtaxat ac ſubſtantiam deſignaret. Atque eâ ſolùm ratione voces illas Concilium primum & Tertium Conſtantinopolitanum, Calcedonenſe, Patreſque demùm omnes à Concilii Nicæni temporibus uſurparunt.

idem, nunc diverſa ſignificant. Ignat. Mart. ad Mag. Epiph. Hær. 76. Gregor. Nic. l. 12 cont. Eun. Iræn. l. 5. c. 36. Dionyſ. Roma. apud Ath. decr. Syn. Nic.

Conc. Conſt. 1. Ep. Syn. ad Dam. Conc. Calced. in expoſ. fid. Act. 5

Cùm itáque Eccleſiæ Catholicæ expo-

Conc. Sext. Act. 4. & xi.

nenti dogmata Religionis linguarum autoribus ignotæ, fas olim licitúmque fuerit, nonnullarum vocum notionem ac poteſtatem modò extendere, modò contrahere, diverſamque ab eâ, quam nomenclatores indidiſſent, vim illis ſententiamque ſubjicere; aio ſanè ridiculum eſſe commentum exiſtimare; illam ultrà jus faſque progreſſam, cùm voces *Duliæ* & *Latriæ*, quæ ex veterum Græcorum inſtituto, idem ſignificabant, inter ſe diſtinxit; & Latriam quidem Dei cultui, Duliam verò Sanctorum cultui aſſignavit.

XXIV. Verùm omiſſis hujuſmodi nominum verborumque tricis, in eo diſputationis cardo vertitur ut ſtatuatur, quæ ſit natura, veraque ac germana notio cultûs Latriæ; ex quo planè intelligatur quid diſcriminis inter reverentiam quæ Chriſto Domino, & quæ ejus imaginibus exhibetur; quid inter Dei & Sanctorum cultum interſit.

Ad Latr. requiritur exiſtimatio ſummæ alicujus præſtantiæ; & voluntas ſe ſubjiciendi.

Aſſero igitur Latriæ cultum obſervantiæ genus eſſe, quo præſtantiſſimam Dei naturam ſummúmque ejus in res omnes imperium veneramur, noſque ejus numini ac poteſtati addictos penitùs ac deditos profitemur. Et illa quidem obſervantia interioribus animi motibus, fide, amore, fiduciâ, humilitate exhiberi poteſt; externâ

tamen

tamen reverentiâ & corporis demiſſione, quam adorationem vulgò appellant, ut plurimùm declaratur. Quamobrem adoratio, cultuſque Latriæ, qui pronis ſtratiſque corporibus, ſacrificiis, precationibus celebratur, præter externos illos ritus, duobus animi motibus, altero intelligentiæ, voluntatis altero continetur. Primò enim Deum credimus eſſe rerum omnium effectorem ac principem, ſummúmque vitæ & ſalutis noſtræ arbitrum, ac moderatorem. Deinde nos ejus poteſtati ex animo ritè ſubjicimus, noſtramque hanc animi obſervantiam exteriori illâ reverentiâ volumus eſſe teſtatam.

Quare Latriæ cultum antecedit quidem notitia, certáque exiſtimatio præſtantiſſimæ dignitatis ac poteſtatis rei illius quam colimus & reveremur; ipſe autem cultus potiſſimùm, & formaliter, ut aïunt, in eo poſitus eſt, quòd velimus nos illi ſubjicere, noſtramque hanc ſervitutem externâ illâ reverentiâ ſancire ac declarare. Unde fit, ut quandocumque Coram Chriſti Imaginibus, caput genüaque demittimus, reverà ipſi Chriſto, nequaquam autem ejus Imagini Latriæ cultum exhibeamus. Primò quidem quia nemini umquam venit in mentem opinari, ineſſe muto illi ſimula-

Cultus Imag. Chriſti non eſt Latria ob dupl. illum defectû.

cro præſtantiſſimam naturam, ſummũque vitæ, ſalutis, ac fortunarum noſtrarum dominatum. Deinde quia exteriori illâ reverentiâ, nolumus ſanè caput vitamque noſtram imagini devovere, noſque illi in perpetuam ac religioſam tradere ſervitutem. Atque ex duplici illo capite omnino efficitur, ut cultum imaginum, Latriæ cultum appellaverit nemo, qui omni partium affectu liber, voluerit de rebus exiſtimare.

XXV. Atque ut planè conſtet non exiſtere Latriæ cultum ſolâ corporis demiſſione, niſi accedat voluntatis motus ſuam ſervitutem profitentis; ex quo velut ex formâ, Latriæ cultus, omniſque vera religio effloreſcit, juvat eorum quæ in ſuperiori diſſertatione dicta ſunt, memoriam revocare. Cum milites Chriſtum Dominum de genu conſalutabant, quanquam & eum honorificè demiſſéque venerabantur, & ille digniſſimus erat qui omni honorum, officiorumque genere ornaretur, nemo tamen illa ſalutantium officia adorationem Latriæ, & cultum religioſum interpretetur, eam certè unam ob cauſam quòd militibus illis animus nequaquam eſſet Chriſti divinitatem, ſummumque in res omnes imperium revereri; & irridendi animo potiùs, quàm ſubjiciendi ſe, hujuſmodi officia exhibe-

Sola adoratio exterior non eſt Latria.

rent. Ipſi quin etiam Ethnici à naturâ dumtaxat inſtituti, haud exiſtimabant cultum Religioſum merè externis ritibus celebrari, niſi illi, quod colebatur, numini, ſe mens & voluntas affectu interiore ſubjicerent. Quamobrem Poëta ſatyricus lepidè omninò jocatur in ſacrilegos fures illos, qui, dum ſpecie aſſimulatæ Religionis, Deorum ſtatuis ſupplicabant, eaſque reverenter oſculabantur; aureorum amiculorum lacinias, intextaſque amiculis argenti bracteolas dentibus revellebant. Nimirum viris ſapientibus non videbatur, cultum illum, quibuſcumque externis perageretur ritibus, eſſe verè religioſum, quem non interior religionis ſenſus, ſed vel avaritia aurique cupiditas, vel quæpiam alia humana affectio ſuaderet.

Aut qui radat inaurati femur Herculis .... vel bracteolam de caſtore ducat. *Juven. Sat.* 13.

XXVI. Res clariùs patebit exemplis. Cùm ſummus princeps ac Dominus unum ex aulicis ſibi legat, qui fundum vectigali immunem, ſuóque imperio obnoxium, feudum vocant, viro cuipiam nobili tradat jure optimo poſſidendum; poſitis ille humi genibus, tactiſque Legati manibus, ſe ritè fidei ac clientelæ obligat Sacramento. Nemo ſanè dixerit, externo illo conſuetóque ritu, virum nobilem legato obnoxium fieri, eſſeque illi beneficio, acceptique fun-

di jure obſtrictum. Quamobrem ? Quia videlicet illi animus nequaquam eſt, in legati verba jurare, ſeque in ejus clientelam ac ditionem conferre: eóque ſolùm ſpectat corporis illa demiſſio, ac religio Sacramenti, ut ſummo Domino obnoxium ſe profiteatur, eique uni fundum ſimul omnem, fortunaſque, & fidem obſtringat.

Haud diſſimili ratione, cúm homo Chriſtianus flexis genibus, aut aperto pronoque capite, Chriſti Imaginem veneratur; non ille certè imagini, quod adverſarii calumniantur, aût ſervit aut famulatur: neque enim externâ illâ reverentiâ ſignificat agnoſcere ſe in imagine præſtantiam aliquam dignitatis; neqûe ſe ei ullo pacto in ſervitutem addicit. Quippe habet dumtaxat in animo, uſu cultuque imaginis, ſummum exemplaris, videlicet Chriſti Domini, in res omnes Imperium ac poteſtatem revereri, ſeque adeò ejus unius cultui ac famulatui devovere.

Catholici non ſerviunt Imaginibus, ſervitute Latriæ aut Duliæ.

Itaque per ſummam injuriam, imaginibus ſervire nos, adverſarii jactant, obtruduntque ſæpiùs famulatûs ac ſervitutis nomina illa, inviſa magis & grandius aliquid ſonantia, quàm cultûs & adorationis vocabula quæ fuerant hactenùs uſurpata. Si enim de Latriæ ſervitute agatur, quæ om-

nium religioſiſſima eſt, negat Eccleſia Catholica, pernegatque, eum ſe cultum vel Sanctis, vel Sanctorum, aut Chriſti ipſius Imaginibus deferre. Neque veró ſapientibus ſolùm doctiſque viris ea laus eſt, velut beneficii loco, ab adverſariis concedenda. Contendimus enim, neminem, etiam ex infimâ plebe, indoctiſque mulierculis adeò eſſe obtuſo hebetique ingenio, ut pictis Sanctorum, aut Chriſti iconibus, & ligneis, lapideiſque ſimulachris præſtantiſſimam naturam tribuat, ſummumque rerum omnium dominatum; velitque ſe hujuſmodi poteſtati obnoxium profiteri, externâ illâ reverentiâ, thure, odoribuſque, ac cereis, quos ad eorum aras pronus incendit.

Si verò de cultu Duliæ ſermo eſt; negamus item ulli Catholicorum unquam veniſſe in mentem, imagines aliquâ aut vi, aut poteſtate, aut virtutum laude præditas eſſe, quæ hunc ſibi cultum ac fiduciam vindicent. Hoc tamen adverſariis probandum fuerat, ut Eccleſiam Romanam imaginibus ſervire convincerent; probandum inquam, Divinam illis poteſtatem ſummúmque rerum omnium dominatum, aut ſaltem ſingularem virtutis ac meriti præſtantiam à nobis tribui, noſtrumque hunc

animi ſenſum externâ illâ reverentiâ declarari. Quod niſi perfecerint, inane illud ſervitutis ac Idololatriæ commentum ridebimus,&explodemus;pergemúſque porrò inficiari,Imaginibus ſervire nos aut famulari.

Verùm, inquient, quod tandem honoris genus à Catholicis imaginibus defertur, cùm earum in conſpectu, ſe vel in genua, vel humi venerabundi abjiciunt, quóve illum nomine, cultúſne, honoris, adorationis, aut ſervitutis appellant?

XXVII. Quod genus cultûs exhibeatur Imag. Chriſti.

Omiſſo in præſentiâ nomine, de quo inferiùs dicetur, rem ipſam, hoc eſt cultûs ipſius naturam explicandam aggredior. Et quamquam hîc de cruce ſolùm, Chriſtíque Imaginibus ſermo eſt, eadem tamen principia ſuo loco à me retractanda ſunt; ubi de cultu Sanctorum, déque eorum imaginibus diſſeretur.

Cultus Latriæ, ut ſuperiùs indicavi, eſt affectus voluntatis ſingularem ſuam erga ſummum rerum omnium authorem ac principem, obſervantiam, infimamque ſervitutem, externâ aliqua reverentiæ notâ, teſtificantis. Quamobrem externa illa reverentia eſt velut objectum materiale interioris motûs voluntatis, ſeu materia, ac inſtrumentum quo, ad divinum numen colendum, utitur interior ille Religionis af-

fectus, quem Latriæ cultum nuncupamus. Quo poſito, Doctores Catholici duobus modis explicant honorem qui Cruci & Imagini tribuitur, cùm in eâ Chriſtus adoratur.

Alii enim exiſtimant, dum quis Imagine coram, in genua provolutus Chriſtum Dñm veneratur, Imagini quidem ſolā corporis demiſſionē, Chriſto veró interiorem animi obſervantiam exhiberi. Quâ ratione cùm vir nobilis ad regii Legati genua ſupplex, jurejurando ſe tradit in regis clientelam ac poteſtatem, Legato quidem exterior, Regi verò interior reverentia defertur, cui certè uni voluit ille, & fidem obligare, & dicere Sacramentum. Quamobrem ut nemo æquus rerum æſtimator ſeriò dixerit, virum nobilem qui in ſinu Regii Legati nixus genibus, ſe clientelæ obligat Sacramento, Legato ipſi obnoxiū fieri, eique perinde ac Regi eſſe, accepti beneficii jure, obſtrictum: ita neque exiſtimaverit virum Catholicum, qui flexo poplite Chriſtum in imagine veneratur, ſeque ejus numini ac poteſtati devovet; hunc inquam imagini ſervire, ſe illi ſubjicere, eamque non minori quàm Chiſtum, ipſum obſervantiâ revereri. Apage ridiculum ineptumque commentum?

1. Reverentia exterior.

XXVIII Altera Doctorum Catholicorum circa cultum imagininum ſententia eſt, præter illam exteriorem, interiorem quoque ipſis reverentiam exhiberi, in eo poſitam, quòd illi qui Chriſtum in imagine adorant, ſignificent ſe eam quoque ob dignitatem & præſtantiam exemplaris, in pretio atque in honore habere. Atque ea ſumma eſt honoris, & cultûs, quem Theologi noſtri imaginibus concedunt, qui ſanè nec Religioni nec divino cultui ullatenùs adverſatur, tribus potiſſimùm de cauſis, quas ſi adverſarii æquo animo attendiſſent, abundè illæ quidem eorum criminationibus, & toties iteratis confictiſque calumniis occurriſſent.

a. Reverentia interior relativa ad exéplar; & qualis?

Hujus ſententiæ ratio una eſt, quòd interiori illo honoris ſenſu, & præclarâ opinione, nec præſtantiſſima natura, nec ſummum in nos imperium Imagini adjudicetur; quod tamen neceſſe foret, ut cultus ille Latriæ nomen ſortiretur. Altera ratio eſt, quòd illâ qualicumque honoris & præclaræ opinionis ſignificatione, teſtatum nequaquam velimus, imagini nos, ſervitutis, ac mancipii jure, obſtrictos eſſe, vitamque ac ſalutem noſtram ejus nutu arbitrioque pendere. Quod pariter neceſſe foret, ut reverentia illa Latriæ ſervitus, cultúſque

cultuſque Deo uni debitus diceretur. Denique quia interior ille omnis, erga Imaginem, honoris ſenſus, oritur ex dignitate & præſtantiâ exemplaris. Honorificè ſiquidem de eâ ſentimus, non quòd ex auro argentove conflata ſit, vel quòd eam ſuperiorem nobis ac præſtantiorem exiſtimemus, ſed quòd Chriſti Domini ſimilitudinem gerat, & inprimis idonea ſit ad ejus recordationem noſtris in animis excitandam.

Hæ ſunt planè Doctorum Catholicorum, de Imaginum cultu, ſententiæ, quas ſi adverſarii voluerint accuratiùs explorare, intelligent profectò eas neque cum decretis neque cum diſciplinâ & moribus, Chriſtianæ Religionis, ullâ ex parte, pugnare. Prima quidem exteriorem ſolùm reverentiam imaginibus tribuit. Altera interiorem addit honoris ſenſum, qui tamen nullam in iis divinitatem, virtutem, præſtantiam, dignitatem, ſed meram cum exemplari ſimilitudinem ſtatuat.

Cùm per Eccleſiam Catholicam licet de re aliquâ in utramque partem diſputare, ſingulis illa Doctoribus poteſtatem facit alterutram ſententiam, pro arbitrio, amplectendi. Itaque ſi Calvinianis, qui cum illâ in gratiam & concordiam redeunt, prima ſententia magis arriſerit, exiſtiment ſanè

cum pluribus Theologis, externam ſolùm Imaginibus reverentiam, ſeu corporis demiſſionem exhiberi, non autem animi obſervantiam; quæ tamen ſi defuerit, nec Religioſa ſervitus, nec famulatus ullus exiſtet. Sin illis, ex mente aliorum Theologorum, voluerint pluſculum indulgere, externæ illi reverentiæ, interiorem, per nos licet, honoris ac venerationis ſenſum adjungant, in quo ſanè nihil vitioſum eſt, aut à Religionis integritate alienum. Ex eo enim, quòd de aliquâ re honorificè ſentiamus, non continuò fit ut exiſtimemus ineſſe illi divinam aliquam mentis præſtantiam, ſummumque in res omnes imperium ac poteſtatem. Sed ideò ſolùm honore illam atque amore proſequimur, quòd liceat in eâ rei alicujus præſtantiſſimæ, nobiſque cariſſimæ, ſimilitudinem intueri. Quæ omnia clariùs, illuſtriúſque patebunt explicatis ſolutiſque adverſariorum argumentis.

XXIX. Prima objectio adverſariorum petita à principiis Theologiæ Catholicæ. Eodem

Primum omnium ac præcipuum petitur ex Theologiæ Catholicæ principiis jam præmiſſis ac conſtitutis. Quamvis interior reverentia quæ Chriſto defertur, & exterior corporis demiſſio quæ ejus imagini exhibetur, ſint duæ res inter ſe maximè diverſæ, ex illis tamen unus idem-

que Religionis actus exiſtit, quem Latriæ adorationem appellant; quemadmodùm unum aliquod corpus ex partibus inter ſe diverſis, nempè ex formâ & materiâ coaleſcit. Quare cum genu, capitéque demiſſo coram Chriſti imagine, Chriſtus ipſe Dominus adoratur; uno eodemque Religionis affectu, honor imagini Chriſtóque tribuitur. Cùm autem hujuſmodi affectus ſit adoratio Latriæ, planè conſequitur affectu ſeu actu Latriæ, tùm Chriſtum ipſum tùm imaginem adorari. Quæ argumentatio ut ipſius Divi Thomæ authoritate roboretur, ſic in eandem ſententiam ſanctus Doctor ratiocinatur. (Ex „ „ Ariſtotele, libro de memoria, idem eſt „ „ motus in imaginem, & in id cujus eſt „ „ imago. Cùm ergo Chriſtus adoretur „ „ adoratione Latriæ, conſequens eſt ut „ „ ejus imago ſit adoratione Latriæ ado- „ „ randa. Et ſequenti articulo. Crux in- „ „ quit, adoratur eâdem adoratione cum „ „ Chriſto.) „

actu Latriæ colitur Imago & Chriſtus.

S. Tho. 3. p. q. 25. a. 3. a. 4.

Ut nodus ille in ſpeciẽ difficilis facilè expediatur, fatemur equidem, exteriori illâ, corã imagine corporis demiſſione, & interiori erga Chriſtũ reverẽtiæ ſenſu, conflari, & effici unum eũdemque actum Religionis. Negamus tamen actum illum eâdem ratio-

Reſpondetur objecť.

ne imaginem, & exemplar attingere, eodemque honoris genere, Chriſtum ipſum, ejuſque imaginē affici. Et ratio ea eſt, quòd idem actus objecta duo interdùm reſpiciat, quibus tamen nec eadem nomina ſeu denominationes, ut vocant, nec eaſdem tribuit affectiones; dum illa ſcilicet diverſo ritu, unum quidem velut materiam, alterum velut formam; unum velut finem, alterum velut medium contemplatur.

XXX. Nonnulla hujus rei exempla ſubjicio. Cùm hominem ſibi culpæ alicujus conſcium ſeriò pœnitet, quòd Dei Optimi, Maximi, ſanctiſſimum numen offenderit, idem ille doloris, ac contritionis affectus circa Deum, & circa peccatum verſatur; & tamen utrique longè diverſas notiones impertit. Eo enim & peccatum habetur odio, & Deus eximià benevolentiæ charitate diligitur. Cùm vir chriſtianus proximum, hoc eſt, alterum quempiam hominem amat, propter Deum ſummo amore, & pluris quàm res omnes alias à ſe dilectum; Deum ille & proximum ſimul diligit eodem charitatis affectu; nemo tamen dixerit eo affectu proximum, perinde ac Deum, pluris quàm res alias omnes diligi; actumque illum, etiam quâ ratione ſpectat ad proximum, eſſe amorem, ut vocant, ſuper

omnia, ſummamque ac præſtantiſſimam benevolentiæ charitatem.

Hæc ad rem noſtram accommodemus. Quamvis idem adorationis affectus imaginem externâ corporis demiſſione, & Chriſtum interiori reverentiâ complectatur; ea tamen adoratio Latriæ erga imaginem, nec dicenda, nec cenſenda eſt; quia diversâ longè ratione actus ille Chriſtum & imaginem intuetur. Chriſtum ſiquidem velut primariam, præcipuamque cultûs cauſam ac rationem; imaginem verò velut caſu & fortuitò veneratur: Interiorem erga Chriſtum animi obſervantiam, velut finem; externam erga imaginem reverentiam, ſibi velut viam mediumque proponit: demùm ex corporis demiſſione tanquam ex materiâ, & interiori reverentiæ ſenſu, tanquam ex formâ, efficitur & coaleſcit. Itaque ex diſſimili illâ diversâque unius actûs in exemplar & in imaginem affectione fit, ut erga exemplar non erga imaginem, Latriæ cultus exiſtat.

Atque eo planè ſenſu accipienda ſunt XXXI.
Doctoris Angelici verba, ubi ait (Cùm
„Chriſtus adoretur, adoratione Latriæ,
„ejus Imaginem eſſe adoratione Latriæ
„adorandam. Similiter Crucem ado-
„rari eâdem adoratione cum Chriſto)

Hoc enim voluit unum ſanctiſſimus Doctor, non adhiberi à nobis actus geminos, unum, quo Imaginem, alterum quo exemplar veneremur; ſed eodem individuo voluntatis affectu, Chriſtum ipſum, ejuſque Imaginem adorari. Ex quo haud ſanè conſequitur, Imagini perinde ac Chriſto Domino, ſummum Latriæ cultum exhiberi, quamvis uno eodemque actu Chriſtus & Imago adorentur. Quâ ratione, proximus nequaquam amatur *ſuper omnia*, quamvis eodem omnino actu, qui eſt amor *ſuper omnia* & perfectiſſima charitas. Deus & proximus diligantur. Neque item vir nobilis eodem fidei vinculo, Legato Regique obſtringitur, quamvis eâdem corporis demiſſione, videatur Regiam dignitatem, & Legati munus atque officium revereri.

Autor Hiſt. Icon. Qui verò cenſuerunt Divum Thomam, Concilium Nicænum ſecundum minimè perlegiſſe, cùm ſcripſit Chriſti Imaginem eâdem quâ ipſum exemplar adoratione Latriæ adorari, non ſanè intellexere Doctorem eximium ex Theologiæ legibus, preſsè ſubtiliterque locutum. Neque enim docuit ſummum Latriæ cultum Imagini crucique deferri, ſed eodem actu Chriſtum ipſum, ejuſque Imaginem adorari: quod

aliam longè diverſamque ſententiam habet.

Solutâ in hunc modum diſcuſſáque argumentatione, quæ una primo aſpectu difficilis implexaque videbatur; diſputatio hæc omnis noſtra, pronuntiatis aliquot continetur, perſpicuis illis quidem apprimé-que idoneis, ad præſtandam religioſis ac meticuloſis animis integram ſecuritatem, & ad omne Idololatriæ periculum ac ſuſpicionem, à cultu imaginum, propulſandam.

Primum, neque Cruci neque Chriſti Imaginibus, abſolutum Latriæ cultum exhiberi; eas enim non ideò colimus, quòd exiſtimemus præditas eſſe illas præſtantiſsimâ divinâque naturâ, ſummumque in res omnes imperium obtinere. XXXII.

Alterum, non etiam adorari illas Latriæ cultu relativo, ſive in gratiam exemplaris. hoc eſt, ex eo quod Imago aliqua videatur ſimilitudinem habere cum Chriſto, non continuò ei nos tradimus in ſervitutem, nec ſummam ineſſe illi dignitatis præſtantiam ac poteſtatem arbitramur. Nemo enim ſanus exiſtimet, hujuſmodi ſimilitudinem hanc Imagini dignitâtem præſtantiamque, conferre.

Tertium, tribui tamen Imagini hono-

rem aliquem tùm exteriori, tùm interiori, ſi placet, reverentiâ, diversâ illâ tamen ab eâ quæ Chriſto ipſi exhibetur.

Quartum, hoc qualecumque honoris genus eſſe merè relativum, hoc eſt, præſtari illud Imagini ob Chriſti ipſius reverentiam, atque ob ſimilitudinem quam habet ad divinum illud exemplar.

Atque his ſanè pronuntiatis, doctrina omnis ac diſciplina Eccleſiæ Catholicæ, circà cultum Imaginum, continetur. Quæ quoniam Theologiæ principiis nititur, uſitata in ſcholis vocabula aliquot uſurpanda fuere.

XXXIII Venio jam ad illud quod adverſarii ſecundo loco objiciunt, petitum illud quidem, non ex privatâ quorundam Theologorum ſententiâ, ſed ex certâ ipſius Eccleſiæ Catholicæ doctrinâ ac diſciplinâ, quæ beneficam vim ac poteſtatem Imaginibus, Crucibúſque inſitam videtur exiſtimare. Hâc enim opinione ducta, illis ſupplicat, fiduciam illis adhibet ac reverentiam, ut patet ex ipsâ precationum formulâ, quâ utitur in Adoratione & Benedictione Crucis. *O Crux ave ſpes unica, piis adauge gratiam, reiſque dona veniam. O Crux cunctis aſtris rutilantior, ſalva præſentem catervam in tuis hodie laudibus congrega-*

Pref. a. 6 2. Rep. à Mr. de Cond. p. 3.

2. Objectio petita ab Eccleſiæ Cath. doctrinâ.

Hym. Eccl. ſimilia in Pont. Rom.

tam.

Digitized by Google

tam. Cùm autem hujuſmodi reverentia, precationes, fiduciæ ſigna, ad cultum Latriæ pertineant, neque alteri quàm Deo Optimo, Maximo, deferri debeant; ex iis ſanè perſpicuum eſt Eccleſiam Romanam eundem Cruci & Imaginibus, quem Deo ipſi, Latriæ cultum exhibere.

Cùm in eo ſita ſit omnis iſthæc controverſia, an ſcilicet Eccleſia Rom. vim aliquam occultam ac ſalutarem, quæ fiduciæ ſit ac reverentiæ incitamentum ſuæ, in Imaginibus, crucibúſque agnoſcat; aſſero primùm eam nuſquam docuiſſe aut cenſuiſſe, ineſſe illis vim ullam divinam ac poteſtatem, quæ Latriæ ſibi cultum vindicet, & in quâ ſpes ac fiducia noſtra nitatur. Rem ſanè certis conceptiſque verbis, definit Concilium „Tridentinum,cum ait,*Imagines habendas,* „*eiſque debitum honorem ac venerationem* „*impertiendam, non quòd credatur ineſſe* „*aliqua in iis divinitas aut virtus, propter* „*quam ſint colendæ, aut quòd aliquid ab* „*eis ſit petendum, vel quòd fiducia in Ima-* „*ginibus ſit figenda.* Quare cum libros Eccleſiaſticos,noſtraſque precum formulas evolventibus occurrent illa virtutis, gratiæ, auxilii, ſalutiſque vocabula, ubi de Imaginibus ſermo eſt; in eam dumtaxat ſententiam accipienda ſunt, quæ ab Eccle-

Reſp. ad object. In Imag. nulla eſt virtus divina.

ſſ. 25. de invoc. Sanct.

ſiâ Romanâ, in Conciliis Oecumenicis ſubjicitur & declaratur. Atenim Concilium Tridentinum, ut patet, apertiſſimè docet Eccleſiam Catholicam, vim nullam divinam ac poteſtatem, quæ noſtram ſibi fiduciam, precationes, ſacrificia, aliáque Latriæ opera vindicaret, Crucibus unquam & Imaginibus tribuiſſe.

XXXIV. Nec virtus ſupernatur.

Aſſero deinde Imagines atque Cruces, nec divinâ, ut dixi, ſed nè ſupernaturali quidem, ut vocant, ad gratiam & ſanctimoniam hominibus conferendam, imò neque naturali ad præſtandam illis incolumitatem, vi ac poteſtate pollere; eſſéque illas ſuapte naturâ, non tenues minùs infirmaſque, quàm lapides ipſos & metalla, ex quibus conflatæ ſunt. Unde liquidò conſtat nefas eſſe illas, ex eo capite, tum Latriæ cultu, tum alio quolibet honore dignari.

Imago poteſt extra ordinē, & per divinam potentiam, eſſe ſubjectū, aut conditio alicujus virtutis ſupernatur.

Aſſero denique, quamquam Imagines atque Cruces, nec divinâ ullâ, nec ſupernaturali virtute præditæ ſint, quæ religioſum illis afferat cultum, poſſe tamen Deum vim ſalutarem aliquam illis impertire, in gratiam earum, rerum cum quibus ſimilitudo ipſis, & quædam velut affinitas intercedit. Et verò, cum Deus olim vim occultam & ſalutarem Elizæi Prophetæ contule-

rit oſſibus, ad ſpiritum & vitam afflandam exangui aridoque cadaveri; Jordanis aquis ad ſaniem luemque omnem leproſo corpori abſtergendam; luto Chriſti manu diluto, ad cæco homini lucem viſumque reddendum; cur ni vim eamdem ac facultatem tribuere poſſit tum imagini cuipiam, quâ res à Chriſto Domino præclarè ſanctéque geſtæ; tum Cruci, quâ mors ab eo pro ſalute humani generis amantiſſimè ac fortiter obita, adumbratur? An fortè illa Jordanis aqua, lutum illud, & mortui hominis oſſa magis idonea aptáque erant, quæ hujuſmodi virtute imbuerentur, quàm materies ex quâ Cruces & Imagines effinguntur? An quia divinæ dexteræ robur ita elanguit, ut non poſſit modò prodigia illa, & mirabiles rerum effectiones inſtaurare, quas Prophetarum olim ætate patrabat?

Si enim de Cruce Principe ſermo eſt, quæ olim clavis confixum ac morientem XXXV.
Chriſtum excepit, velim ab iis, qui reſiduarum ejus particularum cultum acriùs inſectantur, velim inquam ab iis ſciſcitari, an ea ritè adverterint quæ à Divô Luca, capite ſexto & octavo memorantur; è ſacro videlicet Chriſti corpore effluere ſolitam vim beneficam ac ſalutarem quæ ægris vel extremas ejus veſtes religioſè attrectan-

tibus incolumitatem ac ſalutem afferret.
Luc. c. 6. c. 8. *Virtus*, inquit, *de illo exibat & ſanabat omnes.*

Hujus rei illuſtre præbuit ipſe documentum in muliere, plures jam annos, fluxu ſanguinis laborante, quæ cùm infimam ejus veſtis oram reverenter contigiſſet, exclamavit illicò Chriſtus, obſervatum à ſe perceptumque, è ſuo corpore virtutem illam mirabilem effluxiſſe. Hîc ego ſanè adverſariorum fidem appello; dicant enim verò, quidni Chriſti Corporis contactus potuerit Crucem in quâ animam agebat, perinde ac veſtes, quibus induebatur, beneficâ illâ ac ſalutari virtute imbuere; præſertim cùm id temporis, Crux eo ſanguine maderet, quo ſalutis humanæ pretium perſolutum eſt, & à quo ſubinde virtus omnis, omniáque Chriſti dona ac beneficia profluxerunt?

XXXVI. Quâ ratione fierent miracula per virgam Moyſis, & ſerpentem æneum? Erant cauſa inſtrumentum aut conditio ad

Si verò de Crucibus aliis, déque Chriſti Imaginibus agatur; velim illos meminiſſe virtutem illam mirificam olim à Deo virgæ Moyſis inditam, quâ maris fluctus dividerentur, fluminum aqua verteretur in ſanguinem, & è ſaxis rupibúſque aridis fontes elicerentur. Vim item illam in æneo ſerpente præſentiſſimam ad ſananda eorum vulnera, qui anguium morſu ulcerati vi-

Digitized by Google

tale ſignum cupidis oculis aſpexiſſent. mirab.& divinam operationem.
Cùm enim Deus exili Paſtoris baculo, æneóque ſerpentis ſimulachro vim illam ſalutarem probatamque contulerit, quid vetet eam quoque Chriſti Imaginibus ac Crucibus impertire? Et verò hujuſmodi virga, æneáque ſerpentis ſpecies an non perinde ſenſu carebant? An non ex eâdem materiâ conſtabant, ex quâ nunc dolantur Cruces, & Chriſti Domini ſculpuntur effigies? An non denique illuſtriùs, reique longè præſtantioris Symbolum videtur Chriſti morientis, quàm unius reptilis ſimulachrum? Ad hæc quid reſpondeant adverſarii, qui conteſtatis hiſce prodigiis minimè refragrantur, ſi ab ipſis fortè quæramus, quâ demùm arte, ad conſpectum ſerpentis ex ære conflatilis, lethales morbi & venenata vulnera ſanarentur? Reponent ſcilicet, Deum exangui ſimulachro vim aliquam vitalem ac beneficam afflaviſſe, quæ in ægros circumjacentes latè diffuſa, priſtinam illis integritatem ſalutémque reddebat; aut, ut ego quidem interpretor, ſerpentis ſpeciem illam, inſtar ſigni ac monumenti cujuſpiam conſtitutam, quo poſito eminúſque conſpecto, ipſa Dei manus, per ſe proximè, ægrotantium morbis ac vulneribus medebatur.

XXXVII. Idem dic. de Cruce & Imag.

In eam planè ſententiam nos quoque aſſeremus, poſſe Deũ imaginibus crucibuſque, non ſecus ac ſerpenti æneo, virgæ Moïſis, Jordanis undæ, & mortui Prophetæ oſſibus vim illam tribuere rerum mirabilium effectricem. Aut certè, quod mihi veroſimilius, & cum doctrinâ Concilii Tridentini magis conſentiens videtur; contendemus poſſe Deum conſpectâ imagine, aut Cruce admotâ, eadem patrare miracula, quæ ſive ad conſpectum ſerpentis ænei, ſive adhibitâ Moſis virgâ, ſive contactu Eliſæi cadaveris, olim efficiebat. Iterum dico, ad conſpectum ſacrorum hujuſmodi ſignorum, quibus vel Sanctorum, vel Chriſti inter homines verſantis aut morientis forma exprimitur, poſſe Deum occultâ divinâque virtute, ſolatium miſeris, ſalutem ægris, mortuis lucis uſuram, vitamque largiri; ita tamen ut mirabilia iſtæc opera, non mutis Imaginibus ac ſimulachris accepta & peracta referantur, ſed ipſi divinæ manûs efficientiæ ea, per ſe, proximè molientis. Et ſanè cùm Deo olim viſum fuerit in conſpectu nonnullorum ſignorum, divinam vim ſuam ac poteſtatem expromere, dicant amabo adverſarii, quid ab eo idem quoque præſtari, hac noſtrâ ætate prohibeat?

Digitized by Google

Addo perpetuum Catholicorum teſtimonium, qui diuturno plurium ſæculorum experimento, vim illam Crucis & imaginum ſalutarem, veriùs dicam, præſentem proximamque Dei ipſius opem comprobarunt, cum ſacra hujus modi ſigna, ob Chriſti & ſanctorum reverentiam atque fiduciam, vel ſupplices venerarentur, vel ſuos ad uſus adhiberent. XXXVIII. Veritas miraculorum per Crucem & Chriſti Imagines editorum.

Celebratiſſima ſunt, hiſtoricis Eccleſiæ Chriſtianæ monumentis, miracula olim Edeſſæ ad Chriſti ſervatoris imaginem, ac Hieroſolymis in Calvariæ monte edita, cùm Helena Magni Conſtantini mater Crucem Domini humo effoſſam illuſtri & conſpicuo in loco propalam collocavit. Quantumcumque ſanè Calviniani aliique Heterodoxi miraculis adverſentur, iſtis tamen nequeant refragari, niſi fortè mendacii arguant authores graviſſimos, qui hîc ad marginem, magno numero, aſcribuntur, quique ſanè nec falluntur ipſi, neque fallunt, cum de eadem re, unâ omnes & mente, & voce conſentiunt. Nequeunt rurſum illis miraculis refragari, niſi fidem abrogent antiquiſſimis Eccleſiæ monumentis, ad quæ confugiant ipſi neceſſe eſt, ſiquando voluerint pro communi Chriſtianæ Religionis causâ conſociatis nobiſ-

Euſeb. l. 1. c. 13. Niceph. l. 17. c. 1. Proc. de bello Perſ. Evag. l. 4. c. 26. Socr. l. 1. c. 13. l. 2. c. 1. Theod. l. 1. c. 1. Vita. Conſt. l. 3. c. 41. Paulin. Ep. 11. ad ſev. Sev. Sulp. l. 2. ſacr. hiſt.

cum animis propugnare. Cùm enim adverſus Ethnicos, Judæos, & Turcas, Religionis Chriſtianæ veritas aſſerenda eſt ex felici pronâque ejus amplificatione, ex multitudine martyrum, & præſtantiâ miraculorum; Calvinus ejuſque aſſeclæ, inſignes illos rerum eventus, non alio quàm horum ipſorum ſcriptorum teſtimonio, atque authoritate confirmant. Cùm itaque fidem illis omninò habendam exiſtiment, in rebus, quas in laudem Chriſtianæ Religionis præclarè commemorant, fateantur neceſſe eſt non minorem illis adhibendam fidem, in iis quæ ad commendationem Catholicæ Religionis memoriæ prodiderunt. Si enim in gratiam Religionis Catholicæ mentiri illos, orbique imponere contigiſſet, in causâ certè Religionis Chriſtianæ eadem in illos caderet mendacii fraudiſque ſuſpicio.

Omitto in præſentiâ, res illas mirabiles quæ Imaginum & Crucis operâ, etiamnum in templis noſtris efficiuntur. Novi ſcilicet adverſarios, qui in hâc miraculorum causâ gravitatis & ſapientiæ famam aucupantur, huic probationum atque argumentorum generi reclamare: Verùm, ut prorsùs intelligant tarditatem eſſe, quàm perſpicaciam & acumen ingenii putant, cùm de

cælitum

Digitized by Google

cælitum imaginibus agetur , ex eorum principiis rem aptiſſimâ, ut ſpero, certiſſimâque argumentatione conficiam.

Ex iis interim quæ hactenús dicta ſunt duo colligere liceat , quibus Eccleſiæ Catholicæ ſententia plurimùm illuſtratur. Unum quidem , cùm Catholici nec divinitatem , nec vim ullam divinam imaginibus aut crucibus tribuant ex eo perſpicuum eſſe , nec illis quoque Latriæ cultum exhibere , quem ſcilicet omninò antecedit certa opiniode ejus,qui colitur, divinitate , ſummoque in res omnes creatas imperio. XXXIX.

In conſpectu Crucis aut Imag poteſt Chriſto ſupplicari.

Alterum , cùm Deus ob ſingularem erga unigenitum filium amorem & benevolentiam , poſſit coram ejus imagine aut Cruce eximia hominibus gratiæ dona largiri, ac res mirabiles in eorum gratiam efficere , fas erit ſanè homini chriſtiano, non quidẽ Cruci aut Imagini ſupplicare, eiſque confidere ; ſed ad earum aſpectum , ea beneficia à Chriſto ipſo precari ac poſtulare , quæ fruſtrà ab egenis illis & exanguibus ſignis expectes. Hac ratione dum Concilium Tridentinum aſſerit , ***virtutem nullam divinam imaginibus ineſſe propter quam ſint colendæ , aut aliquid ab eis ſit petendum*** , ejus ſententia , quòd nuperi

ſcriptores Calviniani neque attendere umquam, nec intelligere potuerunt, ejus, inquam, ſententia optimè conciliatur cum uſu ac conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, quæ in ſolennibus precationibus, videtur Cruci vim aliquam divinam tribuere, atque in eâ ſpem omnem ſuam, fiduciamque reponere. Neque enim Romanæ Eccleſiæ viſum eſt umquam, Cruces aut Imagines ullâ omninò virtute præditas eſſe, quæ vel ſummum ipſis Latriæ, vel cultum alium quemlibet vindicaret. Quod tamen haud vetat, quominùs illa exiſtimet poſſe Deum, non quidem in ipſis ſimulachris vitâ ſenſúque carentibus, ſed in hominibus illis, qui coram Imagine aut Cruce, Chriſto exemplari ſupplicant, vim beneficam ac ſalutarem expromere. Crucem autem ipſam compellamus interdum, in eam ferè ſententiam, quâ Propheta ſanctiſſimus Deum allocuturus, enſem, quem ille manu vibrat, hoſtibuſque intentat, ita compellat. *Mucro mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias.* Nempe cùm Crucē alloquimur ejuſqne vim, ac ſingularia beneficia prædicamus, ad Chriſtum ipſum noſtra omnis ſpectat oratio, qui in ſalutari ligno dexteræ ſuæ robur exeruit, eóque velut ſubſidio ac inſtrumento, dæ-

Ezechi. c.1.v.19

mones profligavit, atque hominum genus è duriſſimâ ſervitute in libertatem aſſeruit.

Poſtrema adverſariorum argumentatio adeò levis infirmáque, mihi quidem videtur, ut mirum planè ſit ſcriptores recentiores iterùm eâ uſos, imò nobis eam velut tutiſſimum propugnaculum objeciſſe, in nuperis ſuis lucubrationibus, quas adverſus doctrinæ Catholicæ expoſitionem conſcripſerunt. Aïunt itáque, atque ex conſuetudine & diſciplinâ Romanæ Eccleſiæ arguere rectè ſe putant, illam Imagines „ adorare; cùm viri Catholici eas reve- „ renter exoſculentur, aperto ſalutent ca- „ pite, ſéque illis ſupplices pronóſque ab- „ jiciant. Ac ne quis fortè reverentiam il- „ lam externam alia ratione interpretetur, „ Eccleſia Romana eam vulgò cultũ atque „ adorationem appellat; Concilia, Theo- „ logi, Catechiſmus, ac Pontificale Roma- „ num apertè dicunt adorari Imagines; „ nemóque eſt Catholicorum quin fatea- „ tur, ultróque concedat, feriâ ſextâ majo- „ ris Hebdomadæ, Crucem ſuppliciter „ adorari.

XL. Tertia objectio petita ab Eccl. uſu & diſcipl.

Pref. a. 6. §. 6. Rep. à Mr. de Cond. 2. p.

Atque hîc injuriâ ſanè, criminantur unum inter Doctores noſtros hac ætate clariſſimum, quòd, cùm Eccleſiæ Catholicæ

doctrinam exponeret, ab eâ ipſe receſſiſſe videatur, rejecto, à cultu Imaginum, adorationis vocabulo in Eccleſiâ Romanâ hactenùs uſitato, & inprimis opportuno, ad veram germanamque ejus ſententiam declarandam.

XLI. An præſtet in cultu Crucis & Imag. vocem adorationis rejici, aut retineri?

Ut operoſa illa moles, cujus robur omne in voculæ unius vi ac poteſtate ſitum eſt, levi impetu diruatur, demus hoc ſanè adverſariis, à nobis Imagines adorari, quid porrò inde efficient? Quid juris contra nos obtinebunt? Néque enim in eo controverſia vertitur, an adoremus Imagines; ſed an eas cultu Latriæ adoremus? Non quæritur an aliquo illas honoris genere; ſed an illas divino cultu & honore dignemur? Verùm quoniam eos etiam, quibus abundè perſuaſum eſt Latriæ cultum à nobis Imaginibus non exhiberi, eos, inquam, vel ipſum adorationis nomen offendit, operæ pretium eſt inveſtigare, an Eccleſia Romana Imagines revera adoret, & an præſtet illud adorationis vocabulum retineri aut abrogari? Quamobrem aliquot mihi capita ſtatuenda ſunt, quæ ſententiæ Romanæ Eccleſiæ majorem afferent lucem, docebuntque, ſcriptores Catholicos de cultu Imaginum diſputantes, inter ſe mirificè conſentire.

Digitized by Google

Primum quidem, rem eſſe notiorem, quàm ut in dubium revocari poſſit, Eccleſiam Catholicam, interdùm cultum Imaginum adorationis vocabulo deſignare. Neque verò neceſſe fuit nuperos Scriptores Calvinianos tantâ curâ, tantóque apparatu, ab authoribus Aſceticis qui pias de rebus divinis ſcripſere commentationes, vel à recentioribus hiſtoricis Gallicæ elocutionis laude præſtātibus, ea loca conquirere, in quibus illi hujuſmodi adorationis vocabulum uſurparunt. Theologi ipſi, primarii illi Eccleſiæ decretorum interpretes, hâc voce non ſemel utuntur; eorumque nonnulli de adoratione Imaginum & Crucis peculiares commentarios ediderunt. Præterea Concilium ſecundum Nicænum, quod cultum imaginum præcipuâ lege ſancivit, tùm in fidei definitione, túm in epiſtolâ ad Conſtantinum Imperatorem & Irenem Auguſtam, adorationis nomē ſæpe adhibet, ad ſignificandam externam illam reverentiā quæ imaginibus exhibetur. En certam omninò apertámque confeſſionem, ex quâ tamen adverſariorum cauſæ nihil aut firmamēti, aut juris accedat.

XLII. Eccleſia Cathol. interdùm utitur voce adorationis.

7. Syn. Act. 7.

Siquidem Conſtat, atque illud mihi ſecundo loco propoſitum fuit, hujuſmodi adorationem, ex mente Concilii, eſſe

Quo ſenſu utatur hac voce?

Digitized by Google

dumtaxat honoris ac reverentiæ genus illud, quod in rem creatam omninò conveniat. Legatur modò laudata epiſtola ad Imperatores, ex quâ Auguſtiſſimi cœtus judicium ac ſententia intelligetur. Patres enim, tum ex vi uſuque græci idiomatis, tum exemplis è Scripturâ Sacrâ deſumptis in id potiſſimùm incumbunt, ut doceant, nomen adorationis quæ rebus creatis exhibetur, merum reverentiæ affectum ſignificare, nec prorsùs Latriæ illam, ſed ſolùm honoris adorationem ſeu τιμήτικην προσκύνυσιν appellandam. Quæ ſanè teſtificatio pluſquàm ſatis ſit ad calumniam adverſariorum, omnemque Idolatriæ ſuſpicionem penitus abſtergendam.

XLIII. Variæ ſpecies Adorat. civilis, ſacræ ſeu Eccleſ. & divinæ

Verùm ut vox prorſus ambigua explanetur cujus causâ, Calviniani antiquiores ſeceſſionem feciſſe, & recentiores etiamnum Eccleſiam Romanam inſectari videntur, obſervare juvat, adorationem genus eſſe quoddam, nomenque commune, quo variæ, eæque inter ſe plurimùm diſcrepantes adorationis ſpecies continentur. Et verò ſcriptores noſtrates Gallicâ elocutione politiſſimi (quandoquidem illos etiam nobis opponunt) diſertè dicunt à ſubditis optimos principes; à plebe viros politicos, conſilio ſapientiâque præſtantes; à

militibus Imperatores clariſſimos adorari. Atque ut idem ipſum Concilium Nicænum, cujus cauſa hîc agitur, ſapientiſſimè argumentatur; an non conceptis verbis Divina Scriptura teſtatur, Jacob olim adoraſſe Eſaü fratrem ſuum; Abraham Chananæos; Natanem & Betſabée Davidem Regem; minores Prophetas Elizæum; demùm res creatas omnes Deum conditorem, ſummúmque mundi opificem adorare. Ex quibus certè exemplis perſpicuum eſt adorationis nomine, modò externam reverentiam, modò interiorem obſervantiæ & honoris affectum, modò Latriæ cultum, infimamque ac religioſiſſimam ſeruitutem ſignificari. Quæro igitur ab adverſariis, cùm audiunt à nobis Imagines adorari; cur adorationem hujuſmodi, non merum honorem, & obſervantiam, rerum creatarum naturæ ac conditioni congruentem, ſed Latriæ cultum Deo uni debitum ac conſecratum, interpretentur? Cur tantopere eos offendat adorationis vocabulum, cùm ab Eccleſiâ Catholicâ; non autem cùm à Scripturâ Divinâ erga res creatas adhibetur? Fatemur equidem adorationis quoddam genus eſſe uni Deo debitum, quod ſit infimæ ſervitutis noſtræ confeſſio, ſummíque ejus

7. Syn. act. 7. Ep. ad Imper. adoravit populum terræ *Gen.* 23.

Inclinavit ſe Bethſab. & adoravit Regem. l. 3. *Reg.* 1. 16.

Cumque introiſſet Nathan Propheta in conſpectu Regis, & adoraſſet eum. v. 23.

Adoraverunt eum proni in terram. 4. Reg.

Dominum Deum tuum adorabis Deut. 6. 10.

imperii argumentum. At fateantur illi quoque neceſſe eſt, adorationis eſſe ſpecies alias poſitas in aliquo, ſeu obſervantiæ, ſeu timoris, ſeu grati animi, ſeu pietatis affectu, quas rebus dignitate præſtantibus, vel ſingulari notâ inſignibus liceat exhibere.

XLIV. Hæc, inquient, plana ſunt, hæc nemo inficietur, verùm hæc omnia ad duo ſolùm adorationis genera referuntur; unum religioſum, quod Deo ſoli; civile alterum quod creatis etiam rebus tribuatur. Cùm autem religioſus ſit cultus ille qui imaginibus aliiſque rebus ſacris exhibetur, hinc omninò efficitur cultum uni Deo debitum, ipſis quoque imaginibus impertiri. Video hoc unum Calvino, ejuſque aſſeclis effugium patere, quod ſequenti diſputatione facilè, ut ſpero, præcludam. Id unũ interim dictum velim, ſi religioſæ adorationis nomine, intelligatur verus Latriæ cultus à virtute religionis elicitus, adorationem imaginum non eſſe religioſam: ſi verò ſignificetur cultus ſolùmmodò à Religione imperatus, qui tandem referatur ad Deum; aïo adorationem imaginum eſſe cultum Religioſum; nihilque omninò vetare quominùs illud honoris genus creatis rebus exhibeatur, ut inferiùs, loco jam

V. diſſer. 3. n. 3.

designato

deſignato, ipſorum adverſariorum confeſſione, liquidò breviterque conficiam.

Duo itaque, ut conſtitueram, à me luculenter probata ſunt, Eccleſiam nempe Catholicam de cultu Imaginum differentem, adorationis vocabulum ſæpius uſurpare; eoque vocabulo nihil ſanè aliud, quàm merum honoris ſenſum ac reverentiam ſignificari. Addo jam tertium illud, ſcriptores Calvinianos nonnullis è Doctoribus noſtris ex eo fruſtra parare prævaricationis invidiam, quòd præter morem Eccleſiæ Romanæ, eâ vocè abſtineant; velintque Imaginibus honorem quidem ac reverentiam, non adorationem cultumque deferri.

XLV. An poſſit abſtineri voce adorationis.

Illuſt. Epiſc. Meldenſis in expoſ. doctrinæ Eccleſiæ Cath.

Quamvis laudatiſſimus præſul quem illi potiſſimùm petunt, ſuâ ipſe luce ſe ſignet; editamque ab eo perſpicuam & dilucidam Doctrinæ Catholicæ expoſitionem, tùm eruditionis, ingeniique præſtantia; tùm ſingularis Eccleſiæ morum ac diſciplinæ notitia; tùm accuratus in explanando dogmate verborum delectus ſatis ſuperque commendent; tamen operæ pretium eſſe duxi, hanc adverſariorum expoſtulationem, uno verbo retundere. Cùm Eccleſia Catholica pluribus verbis utitur, ad rem unam eandemque ſignificandam; aliis quidem ambiguis, perſpicuis aliis ac mi-

Digitized by Google

nimè dubiis; nequaquam ab ejus ſententiâ recedere videtur ille, qui omiſſis ambiguis obſcuriſque, planas ac perſpicuas voces adhibeat. Quare cum Eccleſia Romana doceat, non alium Imaginibus cultum quàm merum honorem ac reverentiam exhiberi, & ad cultum hujuſmodi deſignandum, nominibus promiſcuè venerationis, reverentiæ, honoris, atque adoadorationis, utatur; cur enimverò Doctori Catholico non liceat, aliis omiſſis, honoris ſolùm aut reverentiæ vocabula uſurpare; tùm quòd illa quoque in Eccleſiâ uſitata ſint; tùm quòd illis, ex mente Eccleſiæ ac Theologorum, eadem omnino, quæ aliis vocibus videatur eſſe ſubjecta ſententia.

XLVI Conc. Trid. & Fidei Form. non utuntur voce adorat. & quare?

Atque illud inprimis omnem diſſenſionis ac ſeceſſionis invidiam à ſapientiſſimis Doctoribus amolitur, quòd Synodus Tridentina, quam ab Eccleſiæ Romanæ ſentẽtiâ receſſiſſe nemò certè ſuſpicetur; ubi agit de cultu Imaginũ, honorem illum aut reverentiam, nuſquamverò adorationem appellet. Jubet tamen cultum Imaginibus exhiberi, ex mente Conciliorum Oecumenicorum, præſertim ex ritu & placitis ſecundi Concilii Nicæni. Rurſum in Fidei Formulâ, in quam jurare tenentur qui abdicatâ hæreſi

ſe ad Eccleſiam Romanam adjungunt, id unum habetur; Chriſti ac Sanctorum Imaginibus honorem, ac venerationem debitam tribuendam. Ex quo perſpicuum eſt poſſe aliquem cum Eccleſiâ illa de cultu Imaginum idem omninò ſentire; quamquam nolit hujuſmodi cultum, adorationis nomine, nuncupare. Quamobrem ideo ſolùm Doctoribus interdum noſtris viſum eſt adorationis voce abſtinere, tùm ut Concilii Tridentini ac profeſſionis fidei verbis Religiosè inſiſterent, tùm quia voces aliæ venerationis, honoris, ac reverentiæ, quibus utuntur, idem planè ſignificant quòd *honorariæ adorationis* vocabulum à ſecundo Concilio Nicæno ſtabilitum.

Si verò ulteriùs juvet rem omnem ab ipſo fonte repetere, cauſamque inveſtigare quæ movit Concilium Tridentinum, eoſque Pontifices qui FideiFormulam condiderunt, ut adorationis nomen omitterent; movit ſcilicet iniquitas temporum,& obſtinatior miniſtrorũ Calvinianorum pertinacia, quibus velut ex pacto conventoque certum ac conſtitutum fuit, quò perennem Eccleſiæ Romanæ invidiam conflarent, adorationem omnem, reclamantibus licet Catholicis Doctoribus, Latriæ

cultum Deo uni debitum interpretari. Siquidem, ut doloſæ ac falſæ, ambiguæ vocis interpretationi occurreretur, viſum eſt Eccleſiæ Catholicæ, eâ penitus, tum in Concilio Tridentino, tum in Fidei Formulâ, abſtinere. Neque verò novum illud ac inuſitatum in Eccleſiâ Chriſtianâ videatur. Placet rem unius exempli appoſitione illuſtrare, quod cùm in dogmate verſetur utriſque communi, vix illi certè adverſariorum æquitas audeat refragrari.

XLVII. Eccleſia Chriſt. abſtinuit aliquando vocibus anteà uſitatis.

Cùm Paulus Apoſtolus in Epiſtolâ ad Hebræos, ſcripſerit verbum divinum, *figuram eſſe ſubſtantiæ Patris, & Imaginem bonitatis illius*, Patres illi qui primis Eccleſiæ temporibus floruere, palam ac vulgò aſſerebant in Trinitate Filium Patri ſubſtantiâ ſimilem eſſe, ut patet ex Epiſtola viri ſanctiſſimi Alexandri Epiſcopi Alexandrini, ad Alexandrum alterum Epiſcopum Byzantinum. Ariani deinceps, qui ineunte quarto ſæculo Chriſtianum in orbem eruperunt, cum ſe piis ac probis omnibus inviſos eſſe intelligerent, quòd vocem *Conſubſtantialis*, à Primo Conciliò Nicæno inductam, reſpuerent & aſpernarentur, ſtatuêre demum dogma mollire ſuum, & ad Eccleſiæ Catholicæ ſententiâm propiùs aliquantùm accedere. Quamobrem

Apud Theod. l. 1. Hiſt. c. 3.

venit illis in mentem aſſerere filium eſſe ὁμοιούσιον Patri ſimilem in ſubſtantiâ; tum quòd vocabulum illud jam tunc Catholicis foret Doctoribus uſitatum; tum quòd idem omnino quòd ὁμοούσιον, ſive *conſubſtantiale*, ſonare vulgi auribus videretur.

Hîc verò Patres & acerrimos quoſque decretorum Nicænæ Synodi vindices, animadverſâ Arianorum fallaciâ, vocabulum ὁμοιούσιον multiplici ac diverſâ opinione diſtraxit. Alii ſiquidem vocem, quæ cum ſcripturæ verbis congruere videretur, retinendam exiſtimabant, cum eo tamen additamento, quod omnino indicaret, eam à Catholicis in aliam planè ſententiam quàm ab Arianis accipi. Quippe Cyrillus Alexandrinus hujuſmodi ſimilitudinem haud ſanè reſpuebat, modò adderetur, filium Patri, *in omnibus ſimilem eſſe.* Baſilius quoque admittendam illam ſentiebat, modò filius Patri ſimilis *abſque ullo diſcrimine* diceretur. Ea enim ratione, inquiunt, voces illæ, *Simile in ſubſtantia, & conſubſtantiale*, unum idemque ſignificant. Verba ſunt Cyrilli τόδε ὅμοιον κατὰ πάντα καὶ ὁμοούσιον. Baſili verò. ἐγὼ δὲ τὸ ὅμοιον κατὰ οὐσίαν, εἰ μὲν προσκείμενον ἔχει τὸ ἀπαραλλάκτως, δέχομαι τὴν φωνὴν ὡς

Cyril. dial. 1. de Trinitate & l. 2. Theſ. c. 9. Baſil. Ep. 41.

Ambr. l. de divin. filii c. 2. ταυτὸν τῷ ὁμοουσίῳ φέρουσαν. Ambroſius verò, & Athanaſius eâ voce, quamquam antea rite à Catholicis uſurpata, abſtineri voluerunt; ne videlicet Arianis locus daretur exiſtimandi, eos Catholicos qui hujuſmodi vocabulo uterentur, conſubſtantialitatem excludere, & ſecum planè ſentire. En igitur ſapientiſſimos Chriſtianæ Religionis Doctores de uſu vocabuli unius inter ſe diſſentientes, quod aliis quidem retineri, aliis placet abrogari. Neque tamen obſtat ea, de voce, contentio, quominùs ad tuenda Concilii Nicæni Ecleſiæque decreta, concordibus omnes animis ſuffragiiſque conſentiant. Nec verò dixerit ullus adverſariorum, aut Cyrillum & Baſilium, qui ſervandam vocem illam; aut Ambroſium & Athanaſium, qui reiiçiendam arbitrabantur, à Concilii ſententiâ, vel minimùm diſceſſiſſe. Hæc ad rem noſtram traducamus.

XLVIII. Ecleſia Romana Concilii Nicæni ſecundi, & ſuperiorum ſæculorum authoritate, permota ſtatuit cultum, Chriſti ac ſanctorum Imaginibus, exhibendum; cultũque hujuſmodi adorationis nomine appellandum. Adverſarios perculit ea vox, occaſionem ex eâ nactos, Romanæ Ecleſiæ Religionem invidioſè calumniandi, quaſi res

etiam creatas cultu Deo uni debito venere-tur. Quamobrem Doctoribus Catholicis, decretorum Nicenæ ſecundæ Synodi fautoribus ac ſtudioſis idem ferè contingit, quod antiquis Patribus, qui adverſus Arianos decreta primæ Nicenæ Synodi tuebantur. Alii enim, cum intelligantado rationis vocabulum à pluribus jam ſæculis, inter Catholicos uſitatum, retinendum cenſent; adjuncto uno aliquo attributo quo ſignificetur, honorariam illam dumtaxat eſſe, non veram Latriæ adorationem. Alii verò, ut captiones præcidant omnes, tricaſque adverſariorum, vocem illam ad alienos planè uſus callidè detorquentium, ab eâ abſtinendum exiſtimant, aliaſque adhibendas, quæ perinde uſitatæ ſunt, & quæ, ex mente Conciliorum ac Romanæ Eccleſiæ, eandem omnino cum illâ vim, eamdemque ſententiam habent. Aio igitur quemadmodum inter Patres ſuperiùs laudatos, de Doctrina Eccleſiæ Catholicæ Chriſtique divinitate mirificè conveniebat, quamquam aliis uocem ὁμοιέσιον retinendam, rejiciendam aliis videretur. Ita Doctores Catholicos inter ſe præclarè de cultu Imaginum conſentire, quamvis adorationis vocem aliis uſurpandam eſſe, omittendam aliis videatur. Et ſicut

Eccleſiæ Romanæ ſententiam nõ eam eſſe quam illi Proteſtantes affingũt.

grave piaculum fuerit exiſtimare Athanaſium atque Ambroſiũ qui vocem ὁμοιούσιον rejecerunt, à Pauli Apoſtoli & naſcentis Eccleſiæ ſententiâ receſſiſſe; ita nemo prudens ſuſpicetur Authores Catholicos qui adorationis vocabulo abſtinent, ab Eccleſiâ Romanâ & Concilio Nicæno, de cultu Imaginum diſſentire. Atque hæc, quæ de nomine adorationis, in causâ Crucis & Chriſti Imaginum, dicta ſunt, de Sanctorum quoque Imaginibus liceat interpretari, de quibus diſputatione, poſt ſequentem, alterâ diſſeremus. Priùs tamen de ipſorummet Sanctorum cultu agendum eſt.

DISSERTATIO

Digitized by Google

DISERTATIO TERTIA.

DE CULTU SANCTORUM.

CULTUS quo Eccleſia Catholica Sanctorum nomen atque memoriam veneratur, adverſariorum quidem judicio, longè gravioris momenti res eſt, quàm qui Euchariſtiæ Sacramento, ac Chriſti Imaginibus exhibetur. Cùm enim Chriſto in Euchariſtiâ ſupplicamus, præſentem adeſſe illum certiſſimè credimus: cùm verò ejus Imagines reveremur, noſtro ipſe animo atque cultui Chriſtus Dominus obverſatur; ac proinde cultus ille omnis ad eum ſpectat, quem vitæ ac ſalutis arbitrum, ſummúmque rerum omnium moderatorem exiſtimamus. Atenim ubi Sanctos reveremur ac colimus, nemo ſané ineſſe illis divinum aliquid ſuſpicetur. Cùm fuerint olim homines naturâ nobis formâque ſimillimi, quicunque illis cul-

tus exhibebitur, næ ille rebus merè creatis tribuetur.

Non is equidem ego ſum, qui rem hominum generi perhonorificam velim inficiari. Prolixè fateor ſanctos terrenâ nunc quidem corporum contagione ſecretos, ac cœleſti lumine circumfuſos, dum mortalem olim vitam degerent, hominum certè in numero extitiſſe, quos Deo Optimo viſum eſt & in Concilio cælitum collocari, & hominum in terris ſuperſtitum laudibus celebrari. Hoc unum aſſero Idololatriæ notam ex eo ſubire neminem, quòd hujuſmodi hominibus rebuſque creatis, cultum aliquem, ſed quòd illis Latriæ cultum Deo uni debitum addictumque exhibeat. Atenim nemo dixerit Latriæ Cultum eſſe illum, quo viri Catholici ſanctorum memoriam proſequuntur; eóque vel minimum ſummam numinis dignitatem imminui ac violari? Atque ut fallaciæ omnes, offuſæque à recentioribus potiſſimùm Miniſtris tenebræ diſcutiantur, de tribus cultûs ſpeciebus diſputationem inſtituo, de Adoratione, Invocatione, & Sacrificio.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Reverentiâ quæ Sanctis exhibetur nomine adorationis.

ADORATIONEM appello externa illa ſigna Reverentiæ, quibus viri Catholici ſuam erga Sanctos obſervantiam, & præclaram de eorum virtute exiſtimationem declarant. Puta cùm audito eorum nomine, caput aperiunt, genua flectunt, ſe humi abjiciunt, oculos in cælum attollunt, eorum opem ac præſidium imploraturi. Quibus certè in rebus nemo vel leviſſimum Idololatriæ veſtigium deprehendat, nec ritum ullum Religionis integritati divinoque cultui adverſantem. Diximus enim ſuperiùs, pergemuſque porrò aſſeverare cultum Latriæ nullum eſſe, niſi accedat interior voluntatis affectus ejus ſe poteſtati ſubiicientis, quem vitæ noſtræ authorem, rerumque omnium principem exiſtimemus. Atqui centies iterabimus, donec adverſarii tandem aliquando exaudiant, iterabimus, inquam, quod ſupra dictum eſt, quemcumque demùm Sanctis honorem ac re- II.

Exterioribus honoris ſignis quæ Sanctis, exhibentur adorationis nomen tribui poteſt.

verentiam tribuamus, nequaquam nobis perſuaſum, eſſe illos vitæ noſtræ authores ac dominos, ſummumque in nos, ac cæteras res creatas imperium obtinere. Eos enim dumtaxat colimus ob egregiam vitæ ſanctitatem, & eam, quâ valent in cœlis apud deum, gratiam ſingularem.

Hac olim ratione Elizæi diſcipuli ad Magiſtri pedes, Hebræi quoque proceres ad Joſephi genua ſupplices acciderunt; illi quidem ut Prophetæ Sanctimoniam, iſti ut dignitatem venerarentur fratris optimi, in Ægyptiorum Regum aulâ, præcipuis honoribus, opibúſque florentis. Ex quibus ſanè conſtat adorationis honore affici poſſe etiam illum, qui nec præſtantiſſimâ naturâ præditus ſit, nec ſummo in res omnes imperio potiatur; adeóque adorationis genus eſſe, quod nec divini cultus, nec Latriæ nomine cenſeatur. Cùm itáque contendimus hâc ſolùm ratione ſanctos à nobis coli, quærimus dudúm ab adverſariis, quamobrem res una, quæ Patribus ſapientiſſimis laudi tribuitur, eadem nobis vitio criminique vertatur? Cúmque externus ille ſalutandi ritus à viris ſanctiſſimis fuerit uſurpatus, cur adverſarii honeſtum in illis, in nobis vitioſum interpretentur?

Intellexere proteſtantes hîc ſe ſcopuloſo difficilique in loco verſari, ex quo ut tandem emergerent, venit illis in mentem, authore Calvino, adoratiònis ſpecies duas, Religioſam unam, Civilem alteram aſſignare. Et Civilem quidem aiunt eſſe illam quæ hominibus dignitate præſtantibus, Religioſam verò quæ Deo Optimo Maximo deferatur. Cùm autem Religioſus ſit cultus omnis, quo Sanctos Catholici venerantur, ex eo nimirùm conficiunt, cultum Deo uni debitum, ipſis cælitibus exhiberi. Atque illud poſtremum eſt hominum iſtorum perfugium, duobus hiſce principiis munitum; uno quidem, Sanctorum cultum Religioſum eſſe; altero, Deo deberi uni cultũ omnem Religioſum. III. Calv. Inſt. l. 1. c. 3. §. 21. edit. Lat.

Si mihi quidem, de Sanctorum juribus diſputanti, vox Religioſi cultûs non arrideret, contenderem illicò minùs accuratam eſſe eorum diviſionem qui duo tantùm cultûs genera, Religioſum nempe & Civilem aſſignant; aſſererémque admittendum eſſe cultum alium, qui Sacer ſeu Eccleſiaſticus appelletur. Cujus additamenti ea ratio eſt, quòd virtutes inter ſe diverſæ ſint, cùm eorum, ut vocant, objecta formalia à ſe invicem differunt; hoc eſt, cùm voluntas ad aliquid fugiendum aut Tria genera cultûs. Religioſus, Civilis, Sacer ſeu Eccleſiaſticus.

Digitized by Google

expetendum, variis diverſiſque rationibus movetur. Atenim conſtat poſſe nos quempiam revereri vel ob virtutes morales, & præclara naturæ ornamenta; vel propter chriſtianas virtutes, & cœleſtia gratiæ dona; vel propter virtutes divinas & infinitam dignitatis naturæque præſtantiam. Ex primo Civilis, ex altero Sacer, ex tertio Religioſus cultus exiſtit. Cùm itáque Sanctos aliquo honore dignamur, nec divinas virtutes in illis, nec præſtantiſſimam naturam agnoſcimus; ac proinde hujuſmodi cultus Religioſus ſanè haberi non poteſt. Non obſervamus item virtutes eorum morales, & muneris amplitudinem, quæ in ſapientibus vulgó ac viris principibus obſervantur: Quare nec Civilis quoque cultûs nomen obtineat. Illos igitur veneramur ob ſingularia gratiæ & gloriæ dona, quæ cum ſupra naturæ quidem ac fortunæ bona, verùm infrà divinas virtutes maximo intervallo poſita ſint, peculiarem ſibi vindicant cultum; Civili quidem ſuperiorem, at Religioſo longè inferiorem, quem Sacrum aut Eccleſiaſticum liceat appellare. Quare cum aperto capite, aut poſitis humi genibus, cælitibus ſupplicamus, nemo dixerit Religioſum eſſe hujuſmodi cultum, niſi ſum-

mam illis poteſtatem, numenque divinum à nobis tribui planè certóque convincat. Sanctè autem pernegamus, aliam nobis eſſe mentem, quàm Prophetis ſapientiſſimis, qui ad Elizæi pedes abjecti ejus dumtaxat ſanctitatem, conceſſámque à Deo vim miraculorum effectricem, ſuſpiciebant ac reverebantur.

IV.

Actus Religionis alii ſunt ab ipſâ elicenti, alii imperati.

Verùm quoniam Doctoribus Catholicis mos eſt ſanctorum atque Imaginum cultum Religioſum nuncupare, eamque ipſam appellationem noſtro huic operi præfigere placuit; juvat rem paulò fuſiús diſputare, de quâ pergunt adverſarii moleſtiam nobis negotiumque faceſſere, quamque vulgò ſoliti ſunt, velut plauſibilem ſuæ ſeceſſionis cauſam, oculis imperitæ plebis obtrudere.

22.q.81 a. 1. Forb. Inſt. Hiſt. Theol. Theſes Sedanenſes 1675.

Ex mente itaque Doctoris Angelici unum ſtatuo, quòd Catholicorum & anti-Catholicorum ſcholis communè eſt, quodque adverſariii inficiari non auſint, Religionis nempe, non ſecus ac Charitatis, Pœnitentiæ, cæterarumque virtutum actus alios eſſe elicitos, alios imperatos; ſive actus quos Religio ipſa proximè, & quos aliarum virtutum operâ atque exercitatione producit. Actus qui à Religione proximè oriuntur, veri cultûs Religioſi ac La-

triæ nomen ſibi vindicant: putà cum poſitis genibus aut fuſis humi corporibus, ſummam Dei conditoris potentiam reveremur, nóſque in infimam ſervitutem ejus numini devovemus. Actus autem quos Religio efficit ope virtutum aliarum, non illi Religioſi propriè veréque dicuntur, eo tamen donantur nomine, quòd videlicet à Religione imperentur, ejuſque nutu atque arbitrio, à virtutibus aliis efficiantur.

Cùm peccator ſcelerum dolore ac conſcientiâ ſtimulatus, Deo ſupplicat; cibo abſtinet; Eleemoſinas largitur; opera ſunt illa quidem temperantiæ, Religionis, ac Miſericordiæ? vulgò tamen Pœnitentiæ fructus atque opera nuncupantur; quòd nimirum illa Pœnitentiæ affectus imperet, & ad ea efficienda hujuſmodi virtutum opem ſubſidiumque adhibeat. Rurſus cùm ex ſingulari erga alios homines amore ac benevolentiâ, in eos pecunias erogamus ad eorum inopiam ſublevandam; quotidiani nos victûs portione fraudamus; eorumque causâ variis periculis caput vitamque obiicimus; Liberalitatis ſunt hæc, Fortitudinis, ac Temperantiæ; dicuntur tamen Charitatis opera, quoniam ad ea præſtanda virtutes aliæ charitatis impulſu excitantur. Hoc planè modo cum

reve-

reverentiam cælitibus adhibemus, oritur illa quidem ab ea virtute quam optimi *b* Latinitatis authores Obſervantiam vocant, per quam ſcilicet, ut aiunt, homines aliquâ dignitate antecedentes quodam cultu & honore dignamur. Appellari tamen poteſt cultus Religioſus hujuſmodi reverentia, tum quia ab ipsâ Religione imperatur, tum quia in Sanctis Dei intimis ac familiaribus Deum ipſum reveremur & colimus. Pietatis equidem munus eſt honorem civibus & parentibus, ſive ut loquitur Auguſtinus, cognationibus humanis & quibuſcunque neceſſitudinibus exhibere, ejuſmodi tamen honor, inquit ſanctiſſimus Doctor, Religioſus appellari poteſt, quamvis Religio non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videatur. Præterea cùm ægroti inviſuntur, cùm matres familias ſponſis, & filii parentibus orbati blando recreantur alloquio, miſericordiæ & charitatis ſunt hæc; à Jacobo tamen Apoſtolo opera dicuntur Religionis. *Religio*, inquit, *munda & immaculata apud Deum, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.*

Percontari hîc ego velim ex adverſariis, qui tam anxium Religionis ſtudium præ ſe ferunt, cur Religioſum appellare

V. S. Tho. 22. q. 80. a. 1. *b* Tull. l. 2. de Invent. Cultus Sanct. dicitur Religioſus, quia imperatur à Religione. Propriè eſt cultus, ſacer, vel obſervātia actus. Nam & ipſa Religio quamvis diſtinctiùs non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videatur, tamen Latinâ loquendi conſuetudine, cognationibus humanis... dicitur exhibenda Religio. Aug. l. 10. de civ. c. 1. Iac. 1.

Digitized by Google

liceat cultum illum quem amicis cognatiſque; ſecùs verò quem cœlitibus Dei amicis ac familiaribus exhibemus? Cur liceat Religioſa dicere miſericordiæ & charitatis, non item obſervantiæ opera hominibus præſtita dignitate & ſanctitate conſpicuis?

VI. Verùm inquies, nonne divino numini injuriam facit, & ſanctiſſimum ejus cultum violat ille, qui ad homines venerandos Religionem adhibeat; cultumque hujuſmodi Religioſum appellet? At ego viciſſim rogaverim, num Auguſtinus divino „ numini injuriam fecerit, ejuſque viola„ verit cultum, cùm Latinâ, ut ait, lo„ quendi conſuetudine, non ſolùm impe„ ritorum, ſed etiam doctiſſimorum; noſ„ tram erga cognatos ac neceſſarios ob„ ſervantiam, ſpeciem dixit Religionis eſſe unam, cultúmque hujuſmodi Religioſum appellavit? Rursùm Deus ipſe ſuæ dignitatis ac gloriæ vindex acerrimus ſuamne majeſtatem, ſuáne jura imminuta voluit, cùm Jacobi Apoſtoli voce adhibitam erga calamitoſos benignitatem ac miſericordiam, *Religionem* dixit *mundam & immaculatam*, hoc eſt labe omni Idololatriæ ac ſuperſtitionis immunem? Equidem nè Auguſtini ſententiæ, imò Scriptu-

Digitized by Google

ræ ipſius teſtimonio, Calvinus ejuſque aſſeclæ refragari videantur; fateantur neceſſe eſt, Religionis actus alios eſſe elicitos, quibús illa Deum unum, Optimum, Maximum veneratur; alios imperatos, qui non ab ipsâ proximè, ſed à virtutibus aliis, ejus impulſu atque imperio oriuntur. Contingit autem illud cùm divinum numen non modò ſuis ipſa ritibus ac cultu peculiari veneratur, ſed Pietati quóque imperat, ut parentes velut expreſſas ejus imagines ſingulari honore ac benevolentiâ proſequatur, Miſericordiæ, ut ægros, viduas, pupillos, ac calamitoſos cuſtodiâ incluſos, ſeu filios cariſſimos ab ipſo procreatos inviſat; Obſervantiæ demùm, ut Cœlites ejus amicos, beatæque nunc ac ſempiternæ felicitatis conſortes revereatur & colat. Opera quidem iſtæc ſunt vel Religionis propria, vel ab ipsâ Religione imperata: quæ ſanè in Deum contumelioſa eſſe nequeunt cùm ad ejus gloriam referantur.

Eſt enim illud tum Religionis tum virtutum aliarum munus & indoles, ut ad finem ſuum ea referant quæ ab ipſis vel efficiuntur, vel imperantur. Atque ea ratio potiſſima eſt, cur ſanctorum cultus Religioſus, Deoque perhonorificus & acceptus exiſtat. Equidem cùm provinciæ VII.

V 2

præfecto, Regioque Legato exquiſiti honores tribuuntur, nemini ſanè veniat in mentem ſubvereri, ne aliquid de dignitate ac juribus Principis derogetur, qui viris illis ampliſſimis vices ſuas, & ſuæ velut radium poteſtatis impertiit. Cùm Rex ipſe in urbem aliquam ſolenni pompâ primùm invehitur, ejus adventus magnifico apparatu ornatuque, ac lætitiâ populari celebratur. Cùm verò unum ex aulicâ nobilitate ſibi legat, excipitur ille quoque ſimili pompâ, non modò privatæ ſed publicæ, quam ſuſtinet, perſonæ conſentaneâ dignitati. Aïunt exceptum illum Regio apparatu, Regios illi honores habitos; neque tamen voces illæ, & ſplendida pompæ ſpecies, Regem offendunt optimè conſcium, ad ſe potiſſimùm ſpectare honores hujuſmodi, eóſque ob ſui reverentiam Vicario ſuo eſſe delatos. Novit inſuper neminem eſſe adeò ſtolidum, quin vel in hac ipsâ omnium ordinum ad Legatum honeſtandum celebritate, probè intelligat, Regem inter, Regióſque miniſtros, maximum intereſſe diſcrimen.

Cultus Sanctorũ imperatur à Religione, quia refertur

Ita planè cum Catholici Sanctos, eodem quo Deum ipſum ritu externo, aperto nempe capite, poſitis humi genibus, aut proſtrato corpore venerantur; cùm-

que cultum Religioſum appellant; nequa- quam ex eo offenditur Deus, qui probè novit ad ſe ſpectare honorem illum, atque ex eodem, quo ipſe colitur, Religionis affectu proficiſci. Novit item Catholicos etiam agreſtes indoctóſque non latere, quantùm inter ipſum, & res ab eo creatas diſcriminis intercedat; nec ſanè velle ipſos, quamquam erga Cœlites eundem cultum exteriorem adhibeant, eandem quoque ſervitutem atque animi reverentiam profiteri. ad Dei cultum.

Ex dictis itaque liquidò patet, quid de duobus adverſariorum placitis ſentiendum ſit, cùm aiunt Sanctorum cultum Religioſum eſſe, cultúmque omnem Religioſum Deo uni Optimo, Maximo exhibendum. Si enim vox Religioſi cultûs accipiatur, in veram germanámque ſententiam, & ſermo ſit de actu Religionis elicito, prolixè fatemur hujuſmodi cultum Deo dumtaxat tribuendum; Religione quippe Deus unus colitur, quemadmodum chriſtianâ Fide uni Deo loquenti creditur ac divina myſteria declaranti. Negamus autem juxtà illam vocis notionem, cultum Sanctorum quamtumvis Dei amicorum beatóque in cœlis ævo fruentium, Religioſum dicendum eſſe; contendimuſque non magis eo nomine appellandum, quàm chriſtiana

Digitized by Google

dici debeat fides illa, quæ hominum etiam ſapientiſſimorum dictis ac teſtimonio adhibetur. Si verò cultûs Religioſi vocabulum paulò ampliùs extendatur, eóque nomine comprehendantur virtutum aliarum, Obſervantiæ, Pietatis, & Charitatis opera, à Religione tamen imperata; nihil vetat Sanctorum cultum Religioſum dicere, ſive opus Religionis; quâ ratione Auguſtinus pietatem & obſervantiam erga parentes, & Jacobus ipſe Apoſtolus propenſam in calamitoſos benignitatem Religioſam appellant. Negamus porrò genus illud cultûs ac reverentiæ Deo uni debitum eſſe; aſſerimúſque nullam ipſi injuriam fieri, ſi quando rebus creatis tribuatur.

Si Calviniani quæ dicta ſunt æquis animis auribúſque excipiant, intelligent profectò, quæ toties Catholici monuerunt, Sanctorum cultum Religioſum eſſe, quòd ad Deum referatur, & in eo tandem conquieſcat: ad Deum porrò referri, propterea quòd ob ejus dumtaxat reverentiam, Sanctis exhibeatur, neque aliud nobis propoſitum ſit, quàm ut in illis Deum ipſum Optimum revereamur.

Quomodò cultus Sanctorũ referatur ad Deũ?

Hæc dilucida & plana ſunt, nullis captiunculis fallaciiſque fucata. Verùm occurrunt recentiores Calviniani, remque miris

Object. Calvinianorum. Recent. Les Saints

Digitized by Google

verborum ambagibus obvolvunt. Quan-
„ doquidem, inquiunt; Cœlites ipſi ſunt
„ *Objectum immediatum* cultûs & obſer-
„ vantiæ hujus noſtræ; ad eos certè ſpe-
„ ctat, in illis ſiſtit cultus Religioſus. Sci-
„ mus equidem Romanam Eccleſiam
„ Sanctos ob aliquam cum Deo conjun-
„ ctionem, nempe velut ejus intimos ac
„ familiares venerari; nemo tamen ex eo
„ dixerit hujuſmodi cultum Deo tribui &
„ in illo demùm adhærere? Et verò nobi-
„ lis Aulicus qui ſingulari aqud Principem
„ gratiâ pollet, rémque publicam ejus no-
„ mine adminiſtrat, à prehenſantibus, clien-
„ tibúſque, omni certè officiorum genere
„ colitur; hæc tamen officia nequaquam
„ ad honeſtandum principem referuntur,
„ neque ille prorsùs exiſtimat, ea ſibi in
„ alicujus, erga ſe, meriti aut obſervantiæ
„ loco numeranda.

étant l'object imme-diat du culte que nous leur rendons, c'eſt à eux pro-prement & non pas à Dieu, que ce culte ſe termi-ne... il eſt vray que l'E-gliſe Ro-maine honore les Saints par rap-port à Dieu, c'eſt-à-dire, parce que ce ſont les Saints & les amis de Dieu, mais on ne doit pas dire, qu'à cauſe de cela, le culte qu'on leur rend ſe termine à Dieu. Par ce qu'un Favory à l'oreille du Prince, on l'y fait la Cour, ces honneurs ſe terminent-ils au Prince pour cela? En doit-il tenir compte, & les doit-il regarder comme luy ayant eſté rendus? Iur. preſ. a. 4.

Quàm inanis leviſque ſit iſtæc argumen- IX.
tatio, cujus vis omnis in verborum am- Prob.
biguitate verſatur, cuilibet pronum eſt ar- cultum
bitrari. Catholicæ autem Eccleſiæ ſenten- Sanct. referri ad Deũ.
tia adeò certa compertáque eſt, ut Sancto- 1. Aut.
rum Patrum teſtimonio; Philoſophiæ mo- Ss. PP.

Digitized by Google

ralis, ac Chriſtianæ Theologiæ placitis; iiſque ipſis, quæ in præclarâ iſtâ argumentatione adducuntur, principiis confirmetur. Cùm enim Doctores Catholici aſſerunt Sanctorum cultum ad Deum referri ac pertinere, id ſcilicet docent quod Eccleſiæ Patres ſanctiſſimi, iidemque doctiſſimi tradiderunt. Cùm vitæ ſanctimonia expreſſa ſit divinæ ſanctitatis imago, quoties hominem, inquit Athanaſius, eximiâ virtute præditum intuemur domus noſtræ limina ſubeuntem, ejus illicò ad pedes properamus accidere, probè conſcii, eo adorato, Deum ipſum à nobis adorari. *Honoremus ſervos*, inquit Hieronymus, *ut eorum honor redundet ad Dominum.* Ambroſius quóque, *quiſquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum.* Auguſtinus demùm hæc habet. *In Petro quis honoratur niſi ille defunctus pro nobis.* Omitto Joannem Damaſcenum, Bernardum, alioſque Patres qui poſterioribus temporibus vixere; eos dumtaxat adduco, quibus ipſi Calviniani ob eximiam ſanctitatem, eruditionem, & antiquitatem, plurimùm tribuunt. Atque hìc ego chriſtianum orbem teſtem appello, an non ſapientiſſimi Patres apertè ſignificent Sanctorum cultum ad Deum ipſum ſpectare, referri, pertinere,

Atha. l. de virginit.

Hier. Ep. ad Ripar.

Ambr. ſerm. 6.

Auguſt. Ep. 44.

Damaſc. de fide Orth. l. 4. c. 16.

Bern. de aquæ Luct.

cùm

cùm expreſſis conceptiſque verbis aïunt Deum in ſanctis, Chriſtum in martyribus honorari, exhibitàque famulis ſalutationis atque urbanitatis officia in Domini ornamentum ac reverentiam cedere? Quamquam ex eo Patrum teſtimonio perſpicua ſit Eccleſiæ Romanæ ſententia, inſtat nihilominus Juriæus, cupitque indicari locum aliquem Concilii Tridentini, in quo ſtatuatur cultum omnem Religioſum in Deo ſiſtere, & ad ejus honorem cultumque referri. Aïo igitur à Concilio illud apertiſſimè aſſeri capite Tertio ſeſſionis vigeſimæ ſecundæ, ubi docet, *quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdùm miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illis ſacrificium offerri, ſed ſoli Deo.* Aïo illud ipſum haberi locis omnibus ſeſſionis vigeſimæ quintæ, ubi aſſeritur ſanctos ideo coli quòd fuerint olim Templa Spiritûs ſancti, nunc verò Chriſto intimi ac familiares ſempiternâ cum illo felicitate fruantur in cœlis. Demum idem ſignificat quoties monet honorem ſanctis habendum, juxta mentem antiquorũ Conciliorum, ſecundi præſertim Concilii Nicæni.

C. Trid. c. 3. ſſ. 22.

ſſ. 25.

Atenim ſecundæ Nicænæ Synodo mirificè probatum eſt ſapiens dictum Leontii quondam in Cypro Epiſcopi, qui eâdem

Digitized by Google

ἡ γὰρ εἰς τοὺς ἁγίους τιμὴ εἰς αὐτὸν ἀνατρέχει. ὁ γὰρ τιμῶν τὸν μάρτυρα, τὸν θεὸν τιμᾷ. καὶ ὁ τῇ μητρὶ αὐτοῦ προσκυνῶν, αὐτῷ τὴν τιμὴν προσάγει. καὶ ὁ τὸν Ἀπόστολον τιμῶν, τὸν ἀποστείλαντα τιμᾷ.

reſponſione, quâ nos Calvinianorum, Judæorum ille adverſus Cœlites obſtrepentium calumnias retundebat. *Honor*, aïebat, *qui ſanctis defertur, ad Deum refunditur; qui honorat Martyrem, Deum honorat: qui Dei matrem adorat, Deo ipſi honorem exhibet: qui reveretur Apoſtolum, eum qui Apoſtolum miſit, reveretur.* En certiſſimam Nicænæ Synodi ſententiam, adeoque ipſius Synodi Tridentinæ, quæ Religioni duxit à Nicænis decretis, præſertim de cultu ſanctorum atque Imaginum, vel tranſverſum unguem diſcedere. Verùm quamquam câ de re Sancti Patres, & Concilia ſilerent; Sanctorum tamen cultum ad Deum referri, negare vix poſſit qui poſita ſuperiùs, annuentibus etiam adverſariis, Chriſtianæ Theologiæ principia calleat.

7. Syn. Act. 4.

XI. Prob. 2. Rat.

Conſtat ſiquidem virtutibus ſingulis certam aliquam rationem quâ excitantur & moventur, ſive finem unum peculiarem propoſitum eſſe, ad quem ea omnia referunt, quæ vel ipſæ per ſe, vel aliarum virtutum operâ auxilioque perficiunt. Morem illæ retinent inſtitutumque Regum optimorum, qui publicæ rei gratiâ faciunt, quidquid manu conſilioque, ſeu quidquid ipſi per ſe, aut Miniſtrorum ope ac ſolertiâ moliuntur. Similes item Sapientiſſimis

copiarum Imperatoribus qui ad Principis decus ac dignitatem ea referunt, quæ à ſe tùm ſuâ, tùm militum virtute fortiter ac præclarè geruntur. Ita planè cùm divini numinis cultus Religioni conſtitutus ſit, velut finis certus ac ſingularis, quo illa à cæteris virtutibus rite ſecernitur; eum utique ſemper propoſitum habere debet, nec Religio prorſus dicenda foret, niſi ad eum finem tùm ſuos ipſius, tùm virtutum aliarum, quas regit ac moderatur, actus operáque referret.

Quamobrem bellè omninò hallucinatur Scriptor ſuperiùs memoratus, cùm ait, Sanctos Dei causà, hoc eſt quia Dei ſint intimi & familiares, coli poſſe; quamvis hujuſmodi cultus ad Deum nequaquam pertineat, neque ei prorſus exhibeatur; quâ ratione honores, Principis causâ, hominibus apud eum gratioſis interdùm exhibitos, Principi ipſi delatos nemo, inquit, interpretetur. In eo autem hallucinatio ſita eſt, quòd non unâ ſolùm ſed duabus omninò de cauſis, homines in aulâ gratioſos honore atque officiis proſequamur; vel quia eorum operam rationibus noſtris accommodatam, utilemque fore confidimus; vel quia Principi ipſi qui collatis in clientes & amicos officiis plurimum de-

Digitized by Google

lectatur, rem honorificam jucundamque facturos nos exiſtimamus.

XII. Itaque cùm homini illi ob præcipuam in aulâ potentiam, quam aliquandò nobis præſidio ſperamus fore, honorem cultumque tribuimus; non ille certè Principis, ſed privatæ utilitatis causà, obſervatur à nobis, neque ad Principis obſequium, ſed ad commoda fructuſque noſtros illa obſervantiæ, ſtudiique officia referuntur. Cùm autem illum in honore habemus, quód intelligamus principem ipſum hujuſmodi officiis delectari, imò verò, eam dumtaxat ob cauſam, ſuo illum amore benevolentiaque dignari, ut ejus gatiam nos iſtis honoribus atque officiis ambiamus; tunc enim verò honores illi officiaque ad Principē ſpectant, grata ipſe acceptaque habet, & in loco collati ſibi honoris ac beneficii numerat. Atqui conſtat ipſorum adverſariorum confeſſione, Sanctos eâ ſolum ratione, eoque conſilio à nobis coli, ut videlicet à Deo ipſo eorum felicitatis authore ac patrono gratiam ineamus. Fatentur ſiquidem, illis eo potiſſimum nomine, quod ſint Dei ſancti, amici, ac famuli, venerationem à nobis cultumque deferri. Quibus ſanè verbis ſignificatur, non tam eorum nobis præſidium, rerumque noſtrarum utilitatem

propoſitam eſſe; quàm Dei Opt. Max. obſequium, ac reverentiam qui collata in clientes & amicos officia, grata ipſe acceptaque habeat, ſibique prorsùs exhibita arbitretur.

Atque hæc eſt germana Chriſti verborum ſententia, *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Ex quibus intelligitur alium eſſe honorem qui Prophetæ vaticinanti, alium qui eidem tanquam Prophetæ tribuitur. Contingere enim poteſt, ut conferta plebs vel admiratione obſtupefacta, vel res futuras diſcendi cupiditate permota, & Prophetam veneretur, & magnâ frequentiâ proſequatur. Tunc enimverò, quamquam Prophetiædonum quod hanc homini admirationem plauſumque conciliat, Deus ipſe contulerit; nemo tamen dicat, hanc illi venerationem, Dei causâ, exhiberi, eamque ad divinum numen, quo Prophetæ afflantur & inſtituuntur, ullo pacto referri. Conſtat ſanè Scripturæ teſtimonio, Balaamum Prophetam, Virum alioqui nequiſſimum, divino inſtinctu afflatuque concitatum; quis tamen exiſtimet illum Ammonitarum genti, ejus dictis velut oraculis, auſcultanti, ob Dei Optimi Maximi reverentiam, in honore ac pretio habitum; cùm hominibus illis Deus planè ignotus eſſet,

XIII. Mat. 10. 41.

numer. c. 23. n. 25.

vel ſi, Dei Hebræorum appellatione, utcumque notus, eis ſimul, ut pote Ammonitarum hoſtis, inviſus exiſteret? Cùm autem Prophetam eo nomine, hoc eſt velut Dei Oratorem ac Vatem divina ad nos Imperia perferentem reveremur; nemo certè negaverit honorificam Deo ipſi, acceptamque eſſe hujuſmodi venerationem, cui videlicet ille mercedem ac præmium pollicetur. Atqui ſanctos, Dei amicos illos & Prophetas, iſto dùmtaxat obſervantiæ genere cultuque proſequimur, non eo certè quem plebs tribuere vulgò ſolet hominibus apud principes gratioſis. Sanctos diligimus & veneramur, non ideò ſolùm quod illorum ope ac patrocinio egere nos intelligamus, ſed quia Deum ipſum eorum felicitatis autorem obſervamus & colimus. Demum in ſanctis divinum numen; in aulicis mortalium vulgus fortunam ac gratiam reveretur. Quare cum id ſpectemus unũ, ut Deum Opt. Max. adoremus in Sanctis, hinc omninò efficitur, ut noſter ille cultus ad ipſum referatur, adeóque verum ac germanum Religionis opus exiſtat. His de adoratione diſputatis nunc ad alteram cultús partem, Sanctorum nempe invocationem accedo.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De invocatione Sanctorum.

UT adverſariorum argutiis calumniiſque, ipſo diſputationis aditu, occurratur; inprimis ſtatuendum eſt ſanctiſſimum Eccleſiæ Romanæ dogma, neque animorum ſalutem, neque media ſeu rationes ad eam conſequendam, eſſe in poteſtate Sanctorum, nec ullo eorum merito, gratiâ, atque auctoritate adigi Deum poſſe, ut præſtantiſſima iſtæc mortalibus beneficia largiatur. Profitemur palam cum Tridentino Concilio, Deum juſtificationis ac prædeſtinationis noſtræ cauſam eſſe efficientem; autorem illum ac largitorem gratiæ auxiliorum, quibus nobis omninò opus eſt, ad nobiliſſimum opus ordiendum ac perficiendum. Præterea non alium eſſe mediatorem paciſque ſequeſtrem, Deum inter & homines, quàm Chriſtum Dominum qui nos æterno Patri reconciliet, veniamque nobis, ac præclara gratiæ & gloriæ dona, effuſi in Cruce ſanguinis merito, deprecetur.

Iuſtificationis cauſæ ſunt efficiens miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctiſicat. Cóc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidē in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris. c. 3.

Jam verò ſolenni illâ exceptione præmiſſâ, contendimus poſſe Sanctos non

nomen in majori apud Deum gratiâ eſt, charitas erga nos ſanctior, uberiorque; rerum notitia ſubtilior; virtutes denique ſingulæ ſuis numeris omnibus abſolutæ.

Conſtat equidem morem illum precum auxiliâ ab hominibus pietate præſtantibus efflagitandi, ipſo Scripturæ teſtimonio frequentiſſimè comprobatum. Sapientiſſima Eſther Regina Judæos olim Suſæ degentes in unum convocari juſſit, Deumque, pro ſuâ incolumitate, concordibus omnes animis obſecrare. *Congrega*, inquit, *omnes Judæos, & orate pro me.* Judæi quoque alii Babylonem abducti, collectam pecuniæ ſummam ad populares ſuos, inter everſæ Hieroſolymæ rudera conſiſtentes, Baruch Prophetæ conſilio, ſubmiſerunt, ut Numinis irā miſerrimâ gentis calamitate non ſatis placatam, flagrantibus aſſiduiſque precibus mollire contenderent. *Pro nobis* aiunt, *orate ad Dominum, quia peccavimus Domino Deo noſtro, & non eſt averſus furor ejus.* Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribens, *obſecro vos fratres*, inquit, *ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Et quod plus habet admirationis, Deus ipſe Jobi amicis conceptā animo temerè ac injurioſè de viro ſanctiſſimo opinionem condonaturus, non eorum modò,

XIV. Invoc. Sanct. Prob. ex Script.

Eſth. 4.

Baruch. 1. v. 13.

Rom. 15. v. 30.

ſed Jobi potiſſimum precibus voluit exorari. *Ite*, ait, *ad ſervum meum Iob. ....*
Iob. 42. v. 8. *Iob autem Servus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam.*

Cùm itaque ex his omnibus Scripturæ locis perſpicuum ſit, ad divinum Numen placandum & demerendum, fas eſſe Sanctorum hominum mortalem adhuc in terris vitam agentium, preces & operam adhibere; cur, amabo, non liceat idē ab illis expoſcere, in cœleſtium jam animorum cætum aſcriptis, cùm in beato tranquilloque domicilio, majori apud Deum gratiâ valeant; nec eos certè alio quàm quo in hac vita ſolemus, tum animo, tum reverentiæ, fiduciæ, ac charitatis impulſu, corū auxilium flagitemus?

XV. Intelligo recentiores Calvinianos hic ſcilicet reclamitare, nec ſibi perſuaſum velle, eodem nos animo Conſilioque, Sanctos mortalem adhuc vitam ducentes, & immortalem jam conſecutos precari ac revereri. Iurieus. „ Nemo enim mortales Sanctos rogaverit proſtrato humi corpore, templis „ eorum nomini dedicatis, diebus Feſtis „ inſtitutis, eorumque memoriâ honore „ cœlitum conſecratâ; quibus tamen riti- „ bus Sanctos jam immortalitate donatos „ invocamus ac colimus.

At liceat nobis potiori jure illorum hominum fallaciis reclamare, qui vel ignoraverint, vel diſſimulanter tacuerint, Auguſtinum eadem conceptis verbis aſſerere, in quibus iſti Doctores Catholicos reprehendunt. *Colimus Martyres*, ait, *eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo in hac vitâ coluntur ſancti homines Dei.* Quare frigidis exclamationibus fucum in eo adverſarii faciunt, quòd affectum, ritumque precandi minimè diſcernant, exiſtimentque non poſſe nos duobus hominibus eodem affectu animoque, & ſimul diverſis ritibus ſupplicare; quod tamen longè aberrat à vero.

Viros ſanctos in terris, & in cœlis degentes eodem affectu, at non eodem ritu precamur.

Aug. l. 20. cõtra Fauſt. c. 21.

Rem juvat unius Exempli appoſitione illuſtrare. Privatus quiſpiam beneficium ac munus á Rege impetraturus, convenit primò unum aliquem è domeſticis Regiæ Miniſtris, eodem ſecum vitæ inſtituto, & veteri familiaritate conjunctum. Deinde accedit ad unum è primariis Comitibus Palatinis, aut Regiorum conſiliorum Miniſtris, quibus ſciat, ob muneris amplitudinem, & majorem in aulâ gratiam, atque potentiam, faciliores ad principem aditus patere. Conſtat ſanè hominem illum eodem animo conſilioque, hujuſmodi aulicorum opem præſidiumque expoſcere, quód nimirùm intelligat, illos & optimè erga ſe XVI.

Digitized by Google

affectos eſſe, atque præcipuâ ad Regem exorandũ gratiâ valere: in iis tamen rogandis ac demerendis, nec eadem ſalutationis officia, nec eandem reverentiam adhibet. Etenim ad viros illos inſignes venerabundus accedit, aditu que excluſus commodam admiſſionem, ad interioris cubiculi fores, diutiús obſidet; compoſito ad modeſtiam oris & corporis habitu eos alloquitur; ac præ verecundiâ, interdúm, voce prohibitus, ſuæ illis cauſæ æquitatem, libello ſupplici, ſcriptoque commendat, Erga primarios illos aulæ Proceres decent iſtæc officia, ſuntque ad eorum munus ac dignitatem accommodata; at ridiculè omninò faceret, qui inferiorem alium Regii palatii Miniſtrum eodem ritu precaretur, eique parem reverentiam, animique obſervantiã exhiberet. Ita planè Sanctos in cœlo beatos, alioſque in terris ſuperſtites eodem affectu animoque, & eandem ob cauſam precari decet; cultu tamen rituque diverſo, pro variâ, ac diſſimili utrorumque conditione. Cœlites enim Sanctos, ut ait Auguſt. *tantò devotiùs colimus quantò ſecuriùs; & fidentiori laude prædicamus jam in vitâ feliciore victores, quàm in iſtâ adhuc uſquè pugnantes.*

Auguſt. ſupra.

XVII. Verũ quoniã ſuperiùs, ubi de Sanctorum cultu agebatur, ritum quo invocare illos

ac precari ſolemus, ab omni adverſariorũ obtrectatione vindicavimus; jam quæ illi adverſus ipſam invocationem opponunt, operæpretium eſt diligentiùs inſpicere atque diluere.

Primò itaque ſolitos aïunt Catholicos „Virginis ac Sanctorum laudes verbis „præter modùm exaggerare, quod ſuper-„ſtitionẽ omninò atque Idololatriam ſape-„re videtur. Credimus, inquiunt Dei dona „ipſamque ſalutem, eorum arbitrio, homi-„nibus impertiri. Rogamus ut peccatis nos „abluant, virtutibus inſtruant, de corpo-„ris ergaſtulo ſolutos in cœlum tandem „admittant. Nominatim verò Deiparam „Virginem non precamur modò, ut pro „nobis Deo ſupplicet, ſed omninò, ſi ſu-„peris placet, exiſtimamus illam jure ma-„tris imperare, deumque ipſum, numen „ſuũ ejus poteſtati, imperioque ſubjicere.

Prima Objectio.

Iure matris impera.

Reſp.

Reſpondére jampridem Doctores catholici, quibuſcùmque tandem verbis, quâcùmque precationis formulâ, Dei mater Sanctique alii invocentur, hanc unam vocibus illis, ex mente Eccleſiæ, ſubjectam eſſe ſententiam. *ô Virgo Deipara, voſque beati Apoſtoli, noſtram à Deo ſalutem expoſcite; atque ad veniam ſcelerum, & Chriſtianas virtutes ab eo nobis impetrandas, veſtra*

Expoſ. Doct. Cath.

Bell. l. 1. c. 17. de Beat. Ss.

clientum precibus vota & preces adjungite. Atque hanc eſſe Eccleſiæ Catholicæ mentem, eamque precum & orationum noſtrarum ſententiam, ex eo, certiſſimè ſuadetur, quòd Romana Eccleſia quæ illis utitur, non aliam quám Dei benignitatem ac miſericordiam, noſtræ ſalutis & juſtificationis cauſam; nec alium, ut ſuperiùs dictum eſt, quàm Chriſtum Dominum mediatorem agnoſcat. At ſentio adverſarios etiamnum huic noſtræ conteſtationi obſtrepere & refragari, quibus videlicet perſuaſum ſit, indoctæ plebi verba, ut ſonant, vulgò interpretanti, certũ Idololatriæ periculũ conflari, dũ monetur verba illa uſurpare. *Servato me Petre beate; capiat te miſeratio mei; Cæli atria mihi pandito. Virgo Deipara Chriſto impera, & in filiũ maternã poteſtatẽ expromito.*

Pref. n. 5.

XVIII. Verùm cùm populus, ut aiunt, quòd verba ſonant, intelligere vulgò ſoleat, Miniſtri certè Calviniani, qui Biblia Sacra vernaculo idiomate opificibus, & mulierculis legenda tradebant, anſam illis cauſamque Idololatriæ præbebant, legentibus Paulum Apoſtolum, capite nono primæ Epiſtolæ ad Corinthios, hæc de ſe conceptis verbis, liberè prædicantem. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Et capite undecimo Epiſtolæ ad

1. Cor. 9. v. 22.

Romanos. *Quandiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo; ſi quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.* Etenim ſi verba illa, ut jacent, in germanam ac vulgarem ſententiam accipiantur, veniet in mentem rudi plebeculæ cogitare, Paulum eſſe hominum ſervatorem, ejuſque virtutum ac laborum merito, Judæos atque Gentiles à miſerrimâ peccati ac Dæmonum ſervitute ereptos. Quod ſi quis exiſtimaverit, non minùs ille aberret à fide, quàm qui eundem Paulum aut Petrum rogaverit, ut ſalvum ſe, & ſempiternæ conſortem felicitatis efficiant. Quinimò Chriſtus ipſe, cùm Petro diceret, *dabo tibi Claves regni Cælorum*, viam utique ad Idololatriam muniiſſet; eâ quippè ratione hominibus locum dabat Apoſtoli patrocinium ambiendi, rogandique Cœlorum ut atria ſuis clientibus aperiret. Cùm enim novimus palatii alicujus aut cubiculi claves cuipiam creditas, intelligimus illico ei factam ſimul poteſtatem, aditum, pro arbitrio, obſerandi aut reſerandi. Rom. 11. v. 13. 14.

Adverſarii certè, nè iſtud creare populo Idololatriæ periculum videantur, dum Scripturam Sacram vulgari legendam ſermone, doctis indoctiſque in manus promiſ- XIX.

cuè tradunt ; ſubjicient opinor , plebi quantùmvis imperitæ ſat rationis ineſſe atque intelligentiæ , ut pervideat Paulum non aliâ ratione ſervaſſe homines , quàm quòd eos ſuis ad Deum precibus , concionibus , monitiſque ad ſalutem conſequendam adjuverit : Petro verò non aliam factam poteſtatem quàm ut Chriſti nomine, ac velut ejus imperiorum miniſter , Cœli aditum aperiret. Quòd ſi plebs adeò hebeti fuerit obtuſóque ingenio , ut in hunc modum ratiocinari non poſſit , ea quæ legit, bonâ fide credit, juxta mentem Eccleſiæ ſuæ , & ad ſenſum ſui , ſeu miniſtri , dixeris , ſeu paſtoris.

Eâdem omninò ratione , cùm alumnis Eccleſia ſuis hanc precationum formulam præſcribit ; *Beati Apoſtoli ſervate nos ; ſolvite nos peccatis ; Cælorum fores nobis reſerate* , qui eâ valent ingenii ſolertiâ atque acumine, ut vim ac poteſtatem eorum verborum percipiant , non ea certè Sanctos rogaturi , in germanam ac vulgarem ſententiam adhibent , optimè conſcii Sanctos nihil aliud, quàm ſuas ad Deum preces, & ſupplices obſecrationes , ad ſalutem & noſtrorum veniam ſcelerum conferre. Qui verò vocum illarum vim ac ſententiam non ſatis norunt , eas certè ex mente & ſenſu

ſenſu Eccleſiæ Catholicæ, bonâ fide pronuntiant.

Accedit, quòd plebs quantumcumque rudis & imperita hujuſmodi voces ut ſonant, atque, ut aïunt, ad literam, etiam in ſermone familiari nequaquam ſoleat uſurpare. Cùm reus quiſpiam carcere incluſus, ab uno ex amicis ſortem ejus miſerante inviſitur, inſtat ille centies urgétque: Rogo te, obteſtorque, amice cariſſime, mihi ut ſalutem des, præſenti me periculo liberes, & ab Ergaſtulo atque iſtis compedibus eximas. Miſerum certè caput, licet periculo & calamitate obſtupefactum, non eſt ità hebes ad intelligendum, ut hujuſmodi verba ad vulgi ſenſum accipiat. Neque enim amicum rogat, ut pro ſuo arbitrio ac poteſtate, ipſum à morte ac vinclis eripiat: id unum orat, ut vel Regi ſupplicet, qui ſalutem ac vitam reo condonare poſſit; vel tribunalia judicum ſupplex adeat, quibus videlicet jus eſt, ſalvum ſe liberumque dimittere. Atque in eam dumtaxat ſententiam, homo peccator Sanctos alloquitur, quoties illos deprecatur ut ſibi ſalutem tribuant, ſe noxis exolvant, & à ſempiternis inferorum ignibus ærumniſque prohibeant.

XX. Quod ſpectat ad laudes, & decorum no-

mina; quibus Deiparam Virginem exornamus, non moverent nos oppidò adverſariorum criminationes, ſi iſthæc objicerent antiquiores Calviniani, qui ſingula Eccleſiæ Catholicæ dogmata ultra fas & modum inſectabantur. Verùm admirari ſatis non poſſumus huic pietati noſtræ obtrectari etiã à recẽtioribus Sectæ miniſtris, qui inveteratũ illud majorum ſuorũ in ſanctiſſimã Virginẽ odium mitigaſſe jam videbantur, quique panegyricas illi orationes & dicebant publicè, & in lucẽ publicã emittebant.

Cùm Virginem ſupplices adhortamur, ut jure matris imperet, ut ſua Reginæ poteſtate utatur; non ei certè divinitatem, numenque tribuimus: Exiſtimamus dumtaxat retinere illam in cœlis ſuam Deiparæ dignitatem, Chriſtumque Filium, qui non minùs illam quàm dum olim in terris degerent, revereatur, ampliſſimi ei muneris jura omnia ſalva integráque ſervare. Contendimus itaque petitionem illam, quam in aliis hominibus precem & obſecrationem appellamus, in matre, imperii ſpeciem quandam habere. Loquimur verbis Sanctorum Patrum qui cum Petro Damiani aïunt, reliquos Cœlites ad Chriſti ſolium, ſupplicantium more, Virginem verò ad mo-

Digitized by Google

dum imperantis accedere. *Accedit ad aureum humanæ reconciliationis tribunal non rogans, ſed imperans; domina non ancilla.*

Et verò quod piaculum, quæ fuerit verbi invidia, ſi quis aſſerat Dei matrem Deo ipſi, eidemque filio præcipere, imperare? An non Scripturæ ſacræ teſtimonio conſtat, Deum olim hominis unius præcepto ac voluntati paruiſſe, cùm, Joſüe rogatu, ſolem perẽni motu curſúque concitatum, repentè inhibuit? *Obediente Deo voci hominis*, obedientia certè & imperium inter ſe connectuntur. Quare cum Deo Optimo Maximo à dignitate ſuâ alienum minimè videatur, homini obedire; nec alienum ſanè videbitur ſibi à fœmina, eâdémque matre amantiſſimâ imperari. Omitto alias precandi formulas quas publici, occultique Eccleſiæ hoſtes ſimiliter reprehendunt. Vel enim illæ eandem, quàm ſuperiores, ſententiam habent; ut nimirùm ſuas dumtaxat, à Sanctis preces & obſecrationes flagitemus: vel ſi diverſum aliquid ac ſuperſtitioſum ſonant, eas omninò explodimus, velut privatorum hominum commenta, quorum dementiæ ac levitatis infamia univerſæ Eccleſiæ aſpergi non poſſit.

Ioſ. 10. 5. 14.

XXI. Secunda Objeƈt. Preces quæ ſanƈtis fiunt, inutiles ſunt, quia ab illis non audiuntur.

Fac igitur, inquiunt, precationum formulis illis inter Catholicos uſitatis, nihil erroris ac ſuperſtitionis contineri; erunt nihilominùs caſſæ irritæque hujuſmodi preces, quæ à ſanƈtis nequaquam audiantur. Cùm enim vitam in cœlis degant ab hominum conſortio remotiſſimam, omnem prorsùs rerum humanarum curam ac memoriam abjecere.

Reſp. 1. Qui in hunc modum ratiocinantur, ſatis norunt eam eſſe multorum Doƈtorum ſententiam, preces ad Sanƈtos adhibitas irritas nequaquam forè, quamvis à Sanctis non audirentur. Illæ ſiquidem ad Deum reƈtá, interpoſito Sanƈtorum nomine, deferrentur; datos à nobis libellos ſupplices ipſe diſpiceret; & Sanƈtis quidem rerum inſciis, in eorum tamen gratiam noſtris annueret poſtulatis. Verùm quoniam hæc à Doƈtoribus noſtris ex juris, ut aïunt, abundantiâ conceduntur, planè aſſerimus, ex mente Eccleſiæ Catholicæ, cœleſtes animas ea quæ in terris geruntur, intelligere ac pervidere. Et norunt illa quidem, ait Gregorius Magnus, admirabili vi ac perſpicaciâ beatificæ viſionis, cujus operâ, affulgente lumine gloriæ, quod pro variâ meritorum ratione varium ſingulis impertitur, res præteritas ac futuras, exiſ-

Reſp. 2. Prob. Authoritate Patrũ preces noſtras à Sanƈtis audiri; & quo paƈto audiantur.

tentes, ac poſſibiles, in ipsâ Dei naturâ, tanquam in læviſſimo ac terſiſſimo ſpeculo intuentur, *quæ animæ intus claritatem Dei omnipotentis cernunt, nullomodo credendum eſt, quod foris ſit aliquid quod ignorent.* Greg. Magn. l. 12. Mor. c. 13.

XXI. Norunt quoque, addit Auguſtinus, privato numinis afflatu, nonnullos interdum illis rerum humanarum eventus, pro arbitrio indicantis. Et verò Calvinianæ Sectæ miniſtri qui ſeriò, velut è tripode, pronunciant neque res noſtras à Sanctis intelligi, neque preces audiri; nè ratiunculam quidem unam afferant, quamobrem Sanctis, qui Deum ipſum intentâ mentis acie contemplantur, in divinâ ejus naturâ, quæ rerum omnium exiſtentium & futurarum origo ſit & imago, non liceat res humanas ad ſe ſpectantes, luminis gloriæ beneficio intueri? aut quare Deus hanc illis notitiam, ut Prophetis olim ſolebat, afflare non poſſit, licet, imò verò Calvino concederetur, Sanctorum animos, ad futuram uſque terrarum deflagrationem, cœli aditu prohibitos, ſive in Lymbis, ſive in regione quâpiam amœniſſimâ, Chriſto judici præſtolari? Aug. l. de curâ pro Mort. c. 15. S. Tho. 3. p. q. 10. a. 2. Calvin. l. 3. inſt. c. 25. §. 6.

XXII. Hâc duplici ratione ſuadetur omninò à Sanctis res humanas intelligi; fac tamen

Idem Prob. ex Script. neutrâ illarum adverſarios convinci aut permoveri, aïo tamen Scripturæ teſtimonio adigi illos ut rem ita eſſe fateantur, quamvis modus ac ratio captu difficilis videatur. Cùm Saül mulierem Pythone agitatam adiit, ut Samüelem, qui ante annos aliquòt è vivis exceſſerat, evocaret; exaudiit Vatis preces & carmina vir ſanctiſſimus, ac repentè comparuit. Neque enim, ait Auguſt. umbra illa fuit, aut Samüelis inane ſimulachrum; adſtitit ipſa ejus anima peregrino corpore ad tempus induta. Elias item diu ante Jorami Samariæ regnantis tempora, ex hominum cætu ſublatus, impii nihilominùs Regis mores optimè noverat, cujus videlicet ſuperſtitionem ac ſcelera, datis ad eum literis monitiſque redarguit. Moyſes quoque, pluribus ante Chriſtum natum ſæculis, è vivis ereptus, certior tamen factus eorum quæ in Tabore gerebantur, unà cum eodem Elia illicò adſtitit, & mirabili transfigurationi teſtis ac ſpectator interfuit. Abraham deniquè tranquillū in Lymbis agebat ævum, inmenſis locorum ſpatiis diviſus ab inferis, divitis tamen epulonis preces audiit, ſolatium ac levamen aliquod ſuis cruciatibus flagitantis. Intelligo ſanè hanc Abrahami cum divite collocutionem para-

Aug. l. de curâ pro mor. c. 15.

2. Paralip. 12.

Luc. 16. v. 24.

bolam videri poſſe; ſed Calvinianus ſcriptor, qui ſuam Evangeliorum expoſitionem ex antiquorum Miniſtrorum cōmentariis conſignavit, vero longè ſimilius exiſtimat eſſe illam rei certiſſimè geſtæ narrationem. Mallorat expos. in evang. in c. 16. Lu. v. 23. 24.

Ergo ex iſto aliiſque Calvinianæ ſectæ Miniſtris percontari velim, quâ demùm ratione fiebat, ut Abraham, Moyſes, Samüel, & Elias, à coſuetudine hominum tùm in vivis ſuperſtitum, tùm ad æternos cruciatus damnatorum, longiſſimè remoti ea reſcirent, quæ tùm in terris, tùm in inferis agebantur, ipſaſque ſupplicantium voces ac gemitus tanto intervallo exaudirent. Reponent ſcilicet, factum illud vel Angelorum operâ, hujuſmodi nuncios perferentium, vel Deo ipſo revelante, qui cariſſimos atque amantiſſimos famulos rerum ad ipſos ſpectantium amabat facere certiores. Nodum ſolvent, ut ipſis quidem videbitur; at contendo ego ex eorum principiis, quòd cùm ſanctis antiquæ legis in Lymborum velut exilio ævum degentibus, fas olim fuerit, aliquam rerum humanarum notitiam habere, & ſupplicantium preces audire; Sanctos legis Evangelicæ qui Deum in cæleſti patria, *facie ad faciem*, contemplantur, eo certè beneficio carere non deceat. Equidem cùm ad eos, qui XXIII.

pro foribus palatii excubias agunt, regiorum conſiliorum rumor aliquis interdùm aſpiret; Aulicis certè qui in ſecretiori conclavi aſſiduè verſantur, eorum aliquandò participes ac conſcios eſſe continget.

Non aliam ſanè ob cauſam Angeli Dei in conſpectu aſtantes, quæ in ſingulis Orbis regionibus geruntur, certiſſimè norunt. Ubi primùm peccator aliquis vitiorum è cœno emergit, ſeque ad bonam recipit frugem, illi exultant gaudio, ac ſingulari lætitiâ perfunduntur. *Gaudium erit*, inquit
Luc. 15. v. 10. Chriſtus, *coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Quantumvis licet occulti ac reconditi ſint hujuſmodi animorum motus, patent illi beatis hiſce mentibus, quandòquidem ſummam ex iis voluptatem lætitiamque percipiunt. Patent verò quoniam Deus Opt. Max. qui eos uni ſibi cognitos eſſe voluit, hanc illis notitiam interdùm impertit. Quid autem vetet illum Sanctis idipſum indulgere, qui non minùs quàm Angeli apud ipſum gratioſi acceptique ſunt, & divinam ejus naturam perindè ac illi, quàm maximè intentâ mentis acie, proximè intuentur?

Nihil omninò vetare quominùs Deus cùm Sanctis hæc animorum arcana communicet, probat luculenter illud Angelorum

Exem-

exemplum. Calvino itaque unum illud, at prorsùs inanè, patebit effugium, non parem eâ in re Sanctorum & Angelorum
„ eſſe conditionem: Angelos enim eſſe Calv. inſt. c. 15. §. 17 edit. Lat. l. 3. c. 20. 9. 23. Gall. edit.
„ adminiſtratorios ſpiritus, quibus delegatũ
„ ſit miniſterium curandæ noſtræ ſalutis,
„ quibus demandata ſit Provincia cuſtodi-
„ endi nos in omnibus viis noſtris, qui nos
„ circumeant, qui moneant, qui cõnſolen-
„ tur, qui pro nobis excubias agant. Quæ Heb. 1. pſ. 91.
„ omnia illis; Sanctis minimè deferantur.

XXIV. Verùm à Calvino ſciſcitari velim, an Abraham, Elias, & Samüel de Fratrum ac Gentilium ſuorum ſalute laborarent, cùm Deus illis iſtorum conſilia, preces, ac gemitus indicabat? Si aſſerat illos fratrum ſalutis prorsùs immemores vitam in Lymbis omni rerum humanarum curâ vacuam traduxiſſe; ergò Deus Sanctis mortali vitâ defunctis, hominum in terris ſuperſtitum vota & preces revelat interdùm, quamvis intelligat eos neutiquam vivorum res, ſalutemque curare. Revelat autem, ut gaudio illo, quod accidentale vocant Theologi, cariſſimos amicos exhilaret; vel alias certè ob cauſas, hominibus quidem, at divinæ ſapientiæ haud ignotas. Si verò dicatur viros ſanctiſſimos poſt obitum, charitatem erga fratres, corúmque ſalutis curã

retinuiſſe, eamque ob cauſam res ad fratres ſpectantes, Deum illis ſignificaſſe; quid vetet eum Sanctis legis Evangelicæ idem quoque gratificari? Quis enim dixerit Petrum Apoſtolum, Eccleſiæ Catholicæ, quam primus rexit, minùs eſſe ſtudioſum, quàm Samuëlem Hebræorum Reipublicæ, aut Saülis familiæ, cujus dignitatis author ipſe extitit atque amplificator? Quis dixerit Baſilium, Benedictum, alioſque Religioſarum familiarum authores minori ſtudio ac voluntate incenſos, ad primigenios mores inſtitutáque ordinis pura ſanctáque; quàm Eliam ad divinum cultum in Regno Iſraëlitico integrum illibatumque ſervandum? Quis neget deniquè Ludovicum ſanctum Galliam, Imperium olim ſuum, & ſingulos è Regiâ familiâ Principes nepotes ſuos, majori charitate ac benevolētiâ complecti, quàm Abrahamum Judæorum gentem à ſe genitam & propagatam?

Cùm ergo ſuperioribus Scriptutæ locis omninò confici videatur, mortuos homines vivorum preces interdùm audire; mirùm planè, à Calvinianis ſententiam ſuam ejuſdē Scripturæ teſtimonio confirmari. Sic enim, inquiunt, habetur Eccleſiaſtæ capite nono. *Mortui autē nihil noverunt ampliùs.* Eccl. 9.
Jobi verò decimo quarto. *Immutabis fa-* Iob. 14. 21.

ciem ejus & emittes eum ... ſive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget. Verùm, præterquàm quod ſapientiſſimi interpretes contendunt Divinum ſpiritum, iis in locis, impios homines loquentes inducere; aïo cogi adverſarios ipſos ut nobiſcum ſentiant, verba illa nequaquam, ut ſonant, ad vulgi ſenſum eſſe intelligenda. Cùm enim Chriſtus Lazari, quartum jam diem, ſepulturâ affecti tumulo reſerato, altiùs inclamavit, *Lazare veni foras*, vocem certè excitantis audivit mortui animus, qui in exangue cadaver protinùs advolavit. Ac ne cui fortè veniat in mentē cavillari auditā à Lazaro Chriſti vocē, quòd mortui Dei vocem exaudiant, luculentum Petri Apoſtoli factum appono. Ille enim à Chriſtianis rogatus, ut piiſſimam mulierē excitaret à mortuis, quæ Joppenſis Eccleſiæ egeſtatem ſuis nuper ſumptibus, ac pecuniarum ſubſidiis ſuſtentabat, procumbit in genua, Deum orat, & mortuam ſubindè compellat, *Tabitha ſurge.* vocantem utique audiit mortua fœmina, quæ illicò ſtetit in pedes, ac denuò ſpirare cœpit, ac vivere.

Io. 12. 43.

Act. 9. 39

Fac itaque verum eſſe quod adverſarij jactant, mortuos ſcilicet nihil ampliùs noſſe; dicant, amabo, quâ ratione factum

fuerit ut eorum, de quibus modò dicebam, mortuorum alter, Chriſti, altera Petri vocem audiret? Reſpondebunt nimirùm hujuſmodi voces ad mortuorum animos non utique perveniſſe, ſed Deum illas ipſis ſignificaſſe, juſſiſſeque ut imperata protinùs facerent; ſin autem hanc illis Chriſti Petrique voluntatem indicare non placuit, edixiſſe tamen ut ſua in corpora perindè migrarent, quaſi eorum imperium ac dicta proximè excepiſſent. Hæc ad rem noſtram abundè ſufficiant. Neque enim venit umquam nobis in mentem opinari, noſtram, Sanctis ſupplicantiū, vocem acutam adeò validamque eſſe, ut per immenſa aëris ac cœlorum ſpatia, à Beatis illis animis audiatur. Hoc unum duntaxat contendimus, preces, quas ad virginē Deiparam, alioſque Sanctos effundimus, Deum illis vel in verbo Divino expreſſas oſtēdere, vel privatâ revelatione ſignificare, ut ad ſacrum ipſius tribunal pro nobis interpretes ac deprecatores accedant. Sin autem noluerit noſtrarū illis precationum notitiā impertire, eas certè Deum ipſum intelligere, atque in eorum gratiam perindè noſtris optatis & votis indulgere, quaſi ea ipſimet ſancti audirent, iiſque permoti ejus opem ac miſericordiam nobis expoſcerent.

Digitized by Google

Quâ ratione optimè conciliantur ea XXVI. Scripturæ loca in quibus habetur, ***mortuos nihil noviſſe ampliùs***, cum locis aliis, ex quibus conſtat, ea quæ in terris geruntur, juſtos mortali vita ereptos non omninò latere. Conciliantur, inquam, ſi dicatur cum Magno Gregorio, mortuos rerum humanarum naturalem notitiã non habere, nec eas, ut olim, ſenſuum operâ, viſu nempè auditûque percipere: Quod tamen non obſtat quominùs illas ſupra naturæ modum, privatâ revelatione, à Deo interdùm edoceantur. Equidem, tam diſpar eſt vivorum & mortuorum conditio, ita ſunt illi à ſe invicem conſuetudine uſúque diſjuncti, ut homines in terris ſuperſtites eorũ quæ in cœlis atque in inferis aguntur, & cœleſtes animæ eorum quæ geruntur in terris, ſummâ prorsùs in ignoratione verſentur. Ut tamen ad nos, Dei revelatione, aliqua cœli & inferorum, ita poteſt ad Sanctos, ſimilis revelationis beneficio, nonnulla rerum humanarum notitia pervenire. Novimus ſcilicet celeberrimum olim in cœlis, bonos inter & proditores Angelos, initum eſſe certamen: Luciferum alioſque ſceleris, & ſuperbiæ conſcios ad tartara deturbatos: fideles ac victores Angelos in varios ordines diſtributos, Dei ab ore

Greg. M. l. 12. Mor. c. 13. in c. 14. Iob.

Digitized by Google

Heb. 1. v. 14. Luc. 10. Apoc. 12. Iudæ. v. 6.

nutûque pendere, eſſéque illos, *adminiſtratorios ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Novimus item Dæmones, hominéſque peccatis immortuos, *æternis vinculis alligatos*, denſâque caligine ac tenebris obrutos, acerrimis inferorum ignibus cruciari. Aſſerimus itaque Deum, ut res alterius vitæ, quæ naturalem intelligentiam captúmque ſuperant, homines docuit; ita poſſe cœleſtibus animis, quàm ipſi per ſe habere nequeunt, rerum humanarum notitiam indulgere. Hæc ſi Adverſarii voluerint æquis animis æſtimare, non adeò confidenter jactabunt certum ſibi ac perſuaſum eſſe, animos corpore exutos preces ac vota noſtra nequaquam audire; vel ſi illud obtrudere porrò pergant, non validiore ſanè argumento convincant, quàm ſi dixerint, hujuſmodi animos ut corporibus, ita auribus, omnique ſenſu audiendi carere.

XXVII. 3. Objectio. Nullū eſt in Scripturâ præceptum de invocatione Sanctorum.

„Ut ut eſt, aïunt nuperi Scriptores „Calviniani, quamquam maximè vera „eſſent quæ à Catholicis adducuntur, cau„ſam tamen non obtinerent; ubi enim „de Religione agitur, nihil planè admit„tendum cenſemus, quod non exemplo, „aut præcepto nitatur. Atqui nullibi „Scripturarum, jubet Deus ut Sanctos in

„cœlis Beatos eâdem mente eodemque animo, quo juſtos in terris ſuperſtites deprecemur. Iur. preſerv. a. 5. 9. 2.

Irritum illud profectò atque inanè effugium! fac enim nullùm in Scripturâ de Sanctorum invocatione præceptum extare, quid adverſus Eccleſiæ Catholicæ ſententiam indè conficitur? Ex eo fortè quod de hujuſmodi invocatione præceptum nullũ traditum ſit, prohibitam illam, imò Idololatriæ genus eſſe contendent? Verùm qui ita ratiocinetur, nè ille funditus evangelicam morum doctrinam evertat; conſilia cum præceptis, & ea quæ ſunt juris divini, cum iis quæ ſpectant ſolùm adchriſtianã perfectionem, omninò confundat; Paulo Apoſtolo adverſetur, qui ait hujus vel hujus rei, verbi gratiâ vitam cœlibem ducendi, nullum à Deo ſibi datum eſſe præceptum, eam nihilominùs licitam, Deoque acceptam ſe prorsùs exiſtimare. Abſtinere carnibus, certis quibuſdam diebus, nec jubetur in Scripturâ nec ſuadetur, Chriſtianis tamen licere utrumque quis neget, cùm Paulus Apoſtolus dicat, ab iis qui cibis omnibus promiſcuè veſcuntur, non redarguendos illos qui certos dies jejunos ducere, & quibuſdam interdùm cibis voluerint abſtinere?

Reſp. Multa licent quæ non præcipiuntur in Scrip.

De Virginibus præceptum Domini non habeo: porro hoc, ad utilitatẽ veſtram dico, & ad id quod honeſtũ eſt 1. Cor. 7. v. 25. 11. Qui manducat, non manducantem Non ſpernat: alius judicat diem inter diem .... qui ſapit diem, Domino ſapit. Ro. 14. v. 2. 5. 6.

XXVIII Atque ut ad Sanctorum invocationem propriùs accedamus, quanquam Paulus idem nullo Dei præcepto teneretur, ſalutis curam ſuæ, piis vivorum apud Deum precibus commendare, commendabat tamen, abſque ullo Idololatriæ & ſuperſtitionis periculo. Quidni pariter liceat nobis, ad Sanctorum beato in cœlis ævo fruentium preces, fidemque confugere, quamvis nullum eâ de re Dei præceptum Scripturæ teſtimonio conſignatum habeatur? Præterea non uno Scripturæ in loco jubetur, ut homines dignitate antecedentes honore quidem aliquo, cultûque dignemur; nullibi tamen præcipitur, ut eos adoratione civili, proſtratis videlicet corporibus, aut poſitis humi genibus veneremur. Conſtat nihilominùs ſolitos viros apprimè chriſtianos ac Sapientes, hoc genus honoris Imperatoribus ac Regibus exhibere, neque ſanè ex eo quòd exterior idem cultûs Deo Optimo, Maximo deferatur, ulli unquam hominum venit in mentem, Sapientibus illis Idololatriæ actionem intendere. Quamobrem fieri omninò poteſt ut cultus, honor, aut res alia quæpiam, vitioſa ſit, aliis certè de cauſis, at non ex eo ſolùm, quòd nihil de illâ ſcriptura præcipiat.

Intelligo

Digitized by Google

Intelligo ſapientiſſimis adverſariorum non ſatis idoneam videri, adeòque alia ratione inſtituendam hujuſmodi argumentationem. Addent itaque, ex eo quòd nullum extet de Sanctorum invocatione præceptum, non continuò effici, vitioſam illam ac ſuperſtitioni proximam eſſe, verùm conſequi illud ſaltem; ut quam Deus noluerit, non debeat ſanè Romana Eccleſia ullâ lege ſancire, nec Chriſtianos adigere, ut in cultum Divinum peregrinos illos cultus inducant. An ſit Eccleſiæ præceptum de invoc. Sanct.

Verùm captionibus tricisque rem implicant, qui ita ratiocinantur. Si enim adverſarij velint dumtaxat conſcientiæ ſcrupulos, circa Sanctorum invocationem, & præcepti onus excutere, audiant doctores Catholicos ſæpiùs conteſtantes, id unũ ab Eccleſia Catholicâ definitum, *bonum atque utile eſſe eos ſupliciter invocare*, præceptum porrò eâ de re nemini impoſitum, præterquam Eccleſiæ miniſtris, in publicis ritibus ac cærimoniis obeundis; privatis autem hominibus nihil aliud conſtitutum, quàm ut ſe in Religioſo cultu ad Eccleſiæ mentem ac ſenſum accommodent. Conc. Trid. ſſ. 25. de invoc. ſanct. Card. de Rich. Meth. l. 3. c. 4. Expoſ. de la doct. Cathol., Sua. in def. fidei Cath. l 2. c. 9.

XXIX. Audire quidem mihi videor adverſarios ſciſcitantes, quî fieri poſſit, ut homines privati teneantur officiis publicis intereſſe

Digitized by Google

ſeque ad Eccleſiæ mentem accommodare; neque tamen illi hujus Sanctorum invocationis participes & conſcii ſint. Ponamus itaque hujuſmodi præceptum non ſolùm Eccleſiæ miniſtris, ſed Chriſtianis quoque ſingulis impoſitum fuiſſe, ac ſubindè expendamus quid ex eo conſequatur incommodi? Diſpiciamus paulò attentius, an idonea ſit hæc adverſariorum argumentatio: Deus nihil uſpiam in Scripturâ, de Sanctorum invocatione præcepit, ergo nihil eâ de re poteſt Eccleſia ipſa præcipere.

Et mihi quidem inprimis videtur, quamquam nullum conceptis verbis in Scripturâ, de Sanctorum invocatione, præceptum extaret, fieri tamen poſſe, ut ad eam Chriſtiani, vel naturali, vel divinâ, vel Eccleſiaſticâ lege teneantur. Rem expono. Æterna animæ ſalus tanti eſt momenti tantæquæ æſtimationis, ut licet de eâ curandâ, nulla unquam lex divina aut humana, ſcripta ac promulgata foret, juberet nihilominùs lex naturalis vias omnes ac rationes inire, ejus in tuto collocandæ. Atqui Catholici non pauci, viri utique ſingulari ſapientiâ, & acri judicio præditi exiſtimant, Sanctorum invocationem maximè juvare ad impetranda à Deo gratiæ dona, quæ ſalutis negotio promovendo, & ſempiter-

Quodnā ſit præceptū de Invoc. Sanct.

Digitized by Google

næ felicitati comparandæ omninò conducunt. Illud autem prudenter exiſtimant, tùm authoritate freti ſanctorum Patrum qui ipſorum adverſariorum Confeſſione, per annos mille trecentos, Sanctorum invocationem verbis ampliſſimis commendarunt; tùm certiſſimo experimento multorum beneficiorum quæ vel ipſi, vel alii à Deo, Sanctorum interventu, acceperunt; tùm illuſtribus miraculis, quorum ipſimet teſtes ac ſpectatores fuere. Ex quibus ſanè conſequitur, eos Catholicos, ex ſtudio & curâ ſempiternæ ſalutis, quæ ſingulis hominibus impoſita eſt, omninò teneri quibuſdam in caſibus, ad Sanctos confugere, eorumque preces, & quâ apud Deum pluriſmùm poſſunt, gratiam & amicitiam adhibere.

Prætereá quantumvis reclament Calviniani adverſus humanas traditiones; tamen Apoſtoli Pauli teſtimonio convicti, ſincerâ mente inficiari vix audeant, traditiones eſſe alias verè divinas, hoc eſt Dei verbum non ſolùm ſcripto, ſed Apoſtolorum quoque voce ac ſermone, poſteris tranſmiſſum ad nos uſque perveniſſe. *Tenete*, inquit Paulus, *traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram.* Atque eâ ratione fieri poſſe contendimus, XXX.

Calv. c. 13. edit. lat § 12. 17. & ſeq.

2. Theſſ. 2. v. 14.

ut Sanctorum invocatio unum ſit ex Chriſti præceptis [a], quod Apoſtoli antiquioribus Eccleſiæ Patribus, illi deindè nobis per ſubſequentium manus, velut ſanctiſſimum depoſitum tradiderunt. Quod â me luculenter ſanè confirmaretur teſtimonio eorũ Patrum, qui primis ac conſequentibus Eccleſiæ temporibus floruerunt; niſi actum agerem, & ea rurſùs ingererem quæ jam abundè fuerunt à Doctoribus Catholicis pertractata. Satis fuerit ad marginem indicare loca Dionyſii Areopagitæ, Irenæi, Origenis, Tertuliani, Juſtini, Cypriani, Euſebij, aliorumque, qui vel ipſi Apoſtolorum diſcipuli extitere, vel horũ diſcipulorum ætati proximè ſucceſſerunt.

Dion. c. 7. Hierar. Iren. l. 5. cõtra Hæreſ. Iuſt. in 2. Apol. p. 2. Orig. Hom. 3. in diverſa. Tert. de cor. mil. Cyp. ep. 34. Euſeb. l. 13. c. 7. de præp. Evang.

Ac ne quis eorum verba in alienam ſententiam fortè detorqueat, hanc Virginis & Sanctorúm invocationem ab illis receptã & commendatam, ipſorum adverſariorũ confeſſione ita confici poteſt. Fatentur adverſarii morem illum Cœlites invocandi, quarto jam ſæculo uſitatum, Sanctorumque Baſilii, Gregorii Naziazeni, Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini ſcriptis ac teſtimonio celebratum. Ex quo certè conſequitur, hujuſmodi cultum vel à Patribus ſuperiorum ſœculorum, ad iſtos tranſmiſſum, vel ab iſtis in Chriſtianam Reli-

Daillé de objec. Cult. Relig. l. 4. c. 1.

Digitized by Google

gionem invectum. Si à Patribus Apoſtolorum ætati proximis acceptus, ergo Apoſtolica & divina traditio eſt: Si à Baſilio, Gregorio Nazianz. Ambroſio,& Auguſtino primùm inductus, cùm juxta adverſarios, ſuperſtitionē & Idololatriā ſapiat mos ille Sanctos invocandi, ergo viri ſanctiſſimi Idololatriā in Orbem chriſtianum invexere: ergo acerrimi Chriſtianæ Religionis defenſores, ejus fundamenta convellere viſi ſunt,conſtituto eo cultûs genere, quod ejus ſanctitati ac legibus maximè adverſatur? Quamobrem, nè præſtantiſſimis viris, quorum ipſi perindè ac nos, eximiam morum ſanctimoniam, & eruditionem ſuſpiciunt & venerantur, turpiſſimam illam Idololatriæ notam inurant, fateantur neceſſe eſt,hujuſmodi ritum ac conſuetudinē cœlites invocandi,à Patribus,qui quarto vixere ſæculo, jam receptā ac religiosè ſervatam,ad eos utique à Patribus ætate antecedentibus, ad iſtos verò ab Apoſtolis, ad Apoſtolos autē àChriſto ipſo rité manaſſe.

Fac tamen de Sanctorum invocatione nec præceptum, nec traditionem divinam ullam extare; an putas Eccleſiæ Catholicæ, cui & ſacrorum & Chriſtianæ diſciplinæ cura à Chriſto tradita ſit, jus & poteſtatem non eſſe, hujuſmodi cultum lege ſancire? XXXI.

Eccleſiâ Chriſt. poteſt in cultum divinum novos ritus inducere.

Digitized by Google

Neque dicas cultum ſuperſtioſum, atque Idololatriæ labe fœdatum nullâ poſſe Eccleſiaſticâ & humanâ lege conſtitui. Cùm enim iſtæc ſuperſtitionis calũnia jam abũdè difflata ſit,&adverſarii eò controverſiã omnẽ adduxerint, ut dicant nihil ſe admittere, quod non fuerit exemplo aliquo, aut præcepto divino ſtabilitum, unum illud modò quæritur, an Eccleſia Catholica nequeat ritum aliquem lege jubere, ex hoc ſolùm quòd nihil de eo in Scripturâ præcipiatur? Quare ad ſolenne ſectæ placitum, velut ad ſacram anchoram confugiant neceſſe eſt, aſſerantque cum Calvino, nequaquam

Calv. inſt. l. 4. c. 10. §. 1. edit. Gall. edit. lat. c. 13 §. 6.

„ Paſtores Eccleſiæ legiſlatores eſſe fidelibus
„ impoſitos, nec ipſis licere quod abſque
„ Dei verbo excogitaverint, Eccleſiæ obſer-
„ vandum pro neceſſario mandare. Rurſùm
„ neque ab Eccleſia, neque à Magiſtratu
„ neceſſitatem imponi conſcientiis debere,
„ in quibus rebus à Chriſto liberantur.
„ Unicum Regem agnoſcant ſuum libera-
„ torem Chriſtum; & unâ libertatis lege,
„ nempe ſacro Evangelii verbo regantur
„ oportet ... nullâ ſervitute teneantur,
„ nullis vinculis aſtringantur.

Nõ dico quàm periculosũ ſit dogma quod ſacræ ac civili poteſtati, Eccleſiæ ac politico magiſtratui jus & facultatem aufert, leges

Digitized by Google

alias ferendi, quàm quæ à Chriſto ipſo promulgatæ, ſacro Evangelii verbo continentur. Nè longiùs á ſcopo aberrem, hoc unum aſſero, ſecum pugnare, magniſque in anguſtiis verſari authores illos, qui hanc ipſam, quam Romanæ Eccleſiæ eripiunt, ſuæ ipſorum Eccleſiæ poteſtatem adjudicant. Si enim de legibus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus agatur, an non eorum Synodi plurimas ſtatuunt, imò earum contemptores cenſuris conſtringunt, pœnis coërcent, à ſacrorum Communione & publicis conventibus prohibent? Si verò de cærimoniis ad cultum divinum pertinentibus ſermo eſt, multos ſanè ritus, quorum veſtigium in Scripturâ nullum extat, Eccleſiæ Calvinianæ vel inſtituerunt ipſæ, vel ab Eccleſiâ Catholicâ acceperunt. Patet hoc in duobus illis Sacramentis, quæ ipſi quoque, velut ſanctiſſima Religionis Chriſtianæ myſteria peragunt, ac reverentur.

Diſcipl. des Egliſes Refor. c. 11. 12.

XXXII. Cùm enim ad Cœnam accedunt, quamquā perſuaſum eſt illis merùm panē, Chriſtique corporis figuram dumtaxat apponi, mos eſt tamen apud illos religioſus, caput aperire atque demittere; imò Eccleſiæ unius cum illis ſacrorum Communione conjunctæ, decreto ſancitum eſt, eam poſitis

Liturg. Eccl. Angl. p. 385.

humi genibus, adeóque non minori reverentiâ celebrari, quàm nos Sanctos eorumque Imagines veneremur. Atqui genus illud cultûs neque exemplo videtur, nec præcepto ullo ſtabilitum; nihil enim in Evangelio eâ de re præcipitur, neque Apoſtoli cum Chriſto ſupremâ nocte epulati, cœnam ſupplici illo corporis habitu ſuſcepere. Demùm non minùs eſt Idololatriæ periculum ſi quis coram panis fragmento genua flectat, caput aperiat, aut demitat, quàm ſi Cœlitũ preces atque opẽ imploraturus, humi ſe vel in genua pronus abjiciat. Cùm igitur Proteſtantiũ Eccleſiæ fas nuper fuerit hujuſmodi ritum ſanè religioſum, ad divinũ cultum; cur non pariter Eccleſiæ Romanæ liceat iſtum alium, ad divini ejuſdem cultûs incrementum ornatumque, adhibere?

Mos Baptiſmatis conferendi in modum ablutionis, neque exemplo, neque præcepto nititur, quandoquidem immerſis in aquam corporibus inſtitutus à Chriſto fuit, & ab Apoſtolis ſuſceptus, atque aliis ſubinde impertitus. Eccleſia tamen Chriſtiana cujus morem Anti-Catholici eâ in parte religioſè imitantur, ablutionis uſum in locum immerſionis ſubſtituit, cumque ritum in ſalutare hoc

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum induxit. Ex quibus ſanè perſpicuum eſt Divinum ſpiritum, qui Eccleſiam Chriſtianam regit, ac moderatur, poteſtatem illi feciſſe Divinum cultum iis ritibus augendi, & exornandi, qui ad Religionis dignitatem amplificandam, & populorum pietatem fovendam, magis accommodati viderentur, quamquam iis de rebus nullum in ſacris Scripturæ monumentis, præceptum aut exemplum extaret. Hâc ratione fieri potuit, ut jus ac poteſtas eſſet Eccleſiæ Cælitum invocationem lege latâ ſanciendi, cùm ex teſtimoniis ſanctorũ Patrum, inſignibus miraculis, pluribuſque beneficiis, Sanctorum ope, impetratis intelligeret, eam hominum ſaluti omninò conducere.

Omitto iniquiſſimam illam adverſariorum querimoniam, qui ut majorem offenſionem, & odium in Romanam Eccleſiam concitent, criminari pergunt, Sanctorum invocationem Chriſto contumelioſam eſſe, cùm videlicet nomen, ac dignitas mediatoris quam illi uni debitam affixámque Apoſtolus docet, Sanctis ipſis, æquali jure, à Catholicis tribuatur. XXXIII

Quarta. Objcct. Invoc. Sanctorũ facit injuriam Chriſto mediatori.

1. Timot. 2. v. 5.

Omitto inquam, quia ut ipſo diſſertationis initio apertiſſimè conteſtatus ſum, exiſtimat Romana Eccleſia Chriſtum unúm

Reſp. Sancti ſunt ſup-

plices potiùs quàm mediatores.

eſſe propitiationis, juſtitiæ, ac neceſſitatis mediatorem, qui æterni Patris numen hominum ſcelere violatum placare poſſit, noſque in gratiam cum eo reconciliare.

Sanctos verò deprecatores, & ſupplices potiùs quam mediatores adhibemus, ac ſi quando illos hujuſmodi appellatione dignamur, non in eam certè ſententiam accipienda illa eſt, quâ mediatorem dicimus virum authoritate gravem, qui controverſiæ cujuſpiam ſtatuitur diſceptator & arbiter; ſed quo pacto nomen illud amico tribuimus, qui iratum viri potentis animum precibus lenire ac mitigare conatur. Mediatores illos dicimus, quâ ratione Moyſes ſe, Deum inter & homines, Mediatorem appellat. *Ego*, inquit, *ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos, in tempore illo.* Deniquè non aliam vim Sanctorum mediationi tribuimus, quàm Deo aut Chriſto ejus filio humilibus precibus ſupplicandi; nequaquam verò hominum ſcelera ſuo arbitrio abolendi, & quæ à Deo flagitant, velut ſuo jure certiſſimè impetrandi. Quæ cum expreſſa ſit Eccleſiæ Romanæ ſententia, mirum planè videatur adverſarios etiamnũ in Sanctorum invocatione tricari; cùm illa eo ſenſu expoſita, nè à Calvino

Quo ſenſu interdùm dicantur mediatores.

Deut. 5. v. 5.

„ quidem improbetur. Quantum, inquit, ad „ Sanctos attinet, qui carne mortui in „ Chriſto vivunt, ſi quam illis orationem „ attribuimus, nè iis quidem ipſis ſomnie- „ mus, aliam eſſe rogandi Dei viam, quàm „ Chriſtum qui ſolus via eſt; aut alio nomi- „ ne eſſe acceptas eorum preces. Hæc plana ſunt atque perſpicua. *Non alia eſt Sanctos rogandi via, quàm Chriſtum, aut Deum ipſum, Chriſti nomine.* Bene habet; cauſam obtinemus.

Calv. Inſt. l. 3. c. 10. §. 22. Edit. Gall. & c. 15. Edit. Lat.

Docet enim Eccleſia Catholica, Sanctos nonniſi Chriſtum communem Dominum, vel certè per ejus nomen & ſanguinem, Deum ipſum pro ſalute hominum obſecrare, nec ab eo quicquam, niſi in gratiam chariſſimi Filii, ejuſque meritorum vi atque æſtimatione, impetrare. *Bonum & utile eſt*, inquit Concilium Tridentinum, *Sanctos ſuppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo, per filium ejus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, auxilium, opemque confugere.*

Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Inv. Sanct.

Et ſanè Catholicorum in templa nuſquam pedem intuliſſe, nequè noſtros precationum libros evoluiſſe oportet illum, qui neſciat, Romanam Eccleſiam,

Digitized by Google

nonniſi interpoſito Chriſti nomine, ac commendatione, quicquam à Deo flagitare; à Sanctis verò id unum expoſcere, ut vel Chriſtum pro nobis, vel Deum ipſum per Chriſti merita deprecentur, Chriſti, inquam, cujus reverentiâ, ut ait Paulus, nunquamnon Pater amantiſſimus exoratur. Quare cùm Eccleſia Catholica probè intelligat virtutem atque opportunitatem Chriſti mediatoris; non modò ejus nomen & authoritatem, ſed ipſummet Deum & hominem æterno Patri repræſentat, ut precibus, quas vel nos ipſi, vel quas Sancti, noſtro nomine, Deo faciunt, major ex ejus nomine & commendatione vis atque robur accedat. Atque hæc eſt tertia cultûs Sanctorum ſpecies, quæ modò declaranda ſuccedit.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De Sacrificio quod in memoriam Sanctorum Deo offertur.

PRINCIPIO obſervare juvat, nequaquam me in illud incumbere, ut probem, Miſſam verum eſſe ſacrificium, in quo Chriſtus ipſe victima ſit, quæ ritu incruento, æterno Patri à Sacerdotibus immoletur. Hujus rei veritatem, quam alibi Calviniani oppugnant, hîc certè permittunt, cùm Eccleſiæ Romanæ ex eo Idololatriæ crimen intendant, quod Miſſã, quam verum ſacrificium exiſtimat, in honorẽ Sanctorum celebrare non dubitet. Hoc enim pacto inquiunt, nobiliſſimum Religionis opus, cultuſque uni Deo debitus, rebus creatis exhibetur. XXXIV. Miſſa eſt verum ſacrificium.

Ut Catholico huic dogmati lux aliqua afferatur, aſſerimus Chriſtum ſpeciebus Euchariſtiæ contectum, ſenſuumque uſu atque officio ſpoliatum, quodam velut mortis genere defungi; tùm ut mortalium animos revocet ad memoriam Paſſionis, ac mortis pro eorum ſalute olim fortiter obitæ; tùm ut dolorum ſuorum

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. 2.

ac patientiæ merita, humanæ redemptionis pretium, æterno Patri repræſentet; tum ut cruentæ oblationis virtutem, ac fructum iis impertiat qui ad incruentum iſtud ſacrificium conficiendum, vota, ſtudium, aut operam conferunt. Atque eâ ſolùm ratione contendimus Miſſam eſſe ſacrificium Chriſtianæ Religionis proprium, incruentum illud quidem, exemplumquē ac monumentum cruenti alterius ſacrificii olim in cruce peracti; ſacrificium, inquam, ubi Chriſtus neque iterùm divinæ juſtitiæ ſatisfaciat, neque novum humanæ Redemptionis pretium perſolvat; quaſi, ejus in Cruce ſatisfactione, mortalium ſcelera non fuerint abundè expiata; ſed in quo Chriſti meritorum ac ſatisfactionum fructus, ejus morte ac laboribus comparati, hominibus applicentur.

XXXV. Quatuor fines ſacrificii ad ſanctos referri non poſſunt. Latria, Gratiarū Actio, Propitiatio, Impetratio.

Addimus quatuor eſſe hujus ſacrificii munera, ſive quatuor potiſſimū de cauſis illud offerri; ad ſummum Dei in res omnes imperium profitendum; ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ, humili nobiliſſimæ Hoſtiæ ſupplicatione; ad agendas de acceptis beneficiis gratias; novàque rursùm identidem impetranda. Aſſerimus denique, quantumvis Miſſæ in honorem Sanctorum celebrentur, quatuor illa Religionis officia, ad Deū

Digitized by Google

utique Opt. Max. ad Sanctos autem minimè referri. Neque enim cùm ſacrificium celebramus, id nobis propoſitum eſt, ut vel præſtantiſſimam Sanctorum naturam, ſummúmque in res omnes imperium veneremur; vel petitâ delictorum veniâ iratum eorum animum molliamus; vel gratiam illis ob accepta jam beneficia referamus; vel ut nova eliciamus. Dei certè uni Optimo, Maximo ſacrificium in eos fines offerimus, vel ſummam ejus in promovendâ Sanctorum prædeſtinatione ſapientiam ac benignitatem celebraturi; vel acturi gratias de beneficiis in Sanctos aut in nos ipſos, eorum deprecatione, collatis; vel delictorum noſtrorum veniam rogaturi, quàm Sancti conjunctis ſtudiis, precibuſque ab illo nobis efflagitant, non quidem jure ſuo, ſed per nomen & merita ſanctiſſimæ victimæ quam, eam ob cauſam, aris imponimus.

Quærimus itaque, quid hæc omnia à rectâ Religionis normâ deflectant? Quænam, hujuſmodi cultu, Deo injuria inferatur? Quâ ratione Chriſtus Sanctis ſubjiciatur? Cùm ex modo dictis perſpicuum ſit, ſoli Deo, eidémque æterno Patri ejus merita, ſanguinem, & corpus offerri. Hæc ſi adverſarii ſuo pondere XXXVI

æſtimare voluerint, intelligent profectò, duo illa inter ſe plurimùm diſcrepare; quòd Miſſæ ſacrificium Sanctis, & quòd Deo ſoli in Sanctorum memoriam offeratur.

Pref. a. 5. „Nec frigidè, ut ſolent, ac pueriliter „exclamabunt rem eſſe planè inauditam, „quòd Concilium Tridentinum aſſerat, „non offerri Sanctis ſacrificium Miſſæ, „licet in eorum memoriam offeratur. „*Quamvis* inquit, *in honorem & memo-* „*riam Sanctorum aliquas interdùm Miſſas* „*Eccleſia celebrare conſueverit : non tamen* „ *illis ſacrificium offerri docet*, *ſed ſoli* „*Deo*. Et rursùm *ſi quis dixerit impoſturam* „ *eſſe Miſſas celebrare in honorem Sancto-* „*rum, & pro eorum interceſſione apud* „*Deum obtinenda, anathema ſit.*

Conc. Trid. ſſ. 22. c. 3.

Seſſ. 22. Can. 6.

Fateantur, inquam, adverſarii fieri poſſe, ut ſacrificium Miſſæ in honorem & memoriam Sanctorum celebretur, hoc eſt, tùm ut Deum Optimum, Maximum eorum ſanctitatis authorem veneremur; tùm ut de collata illis cæleſti felicitate, gratias ei agamus ampliſſimas; tùm ut acceptiſſimæ victimæ oblatione moveatur, ad indulgenda nobis varia beneficia quæ Sancti, per ejus nomen & ſanguinem, ab eo nobis expoſcunt. Ex quo tamen haud conſequitur ſacrificium Sanctis offerri, haud

ideó

Digitized by Google

ideò certè quod quatuor illi ſacrificii fines ſuperiùs memorati ad Deum ſolum, non ad Sanctos referantur.

Atque hîc obſervare juvat recentiores Calvinianæ Sectæ Miniſtros non modò falsò confingere, Miſſæ ſarcrificium ab Eccleſiâ Romanâ Sanctis offerri, ſed ſi maximè illa foret ejus ſententia ac diſciplina, eam ab iſtis authoribus inani planè infirmâque argumentatione redargui. Placet rem ex occaſione paulò attentiùs „ explorare. Eſt hæc, inquiunt, in quâ„ libet Religione ſacrificiorum perpetua „ certàque lex ut victima tùm Sacerdòti „ offerenti, tùm ei cui offertur, dignita„ te inferior ſit. Obſervatur illud ipſum „ in ſanctiſſimo Crucis ſacrificio, in quo „ humana natura, quæ hoſtiæ vice fungitur, „ longè ignobilior eſt tùm Chriſto Deo „ & homine ſacrificante, tùm æterno „ Patre, cui hujuſmodi victimæ ſanguine, „ ac nece litatur. Verùm in ſacrificio „ Miſſæ, quod in honorem Sanctorum „ celebratur, perturbatur ordo ille, cùm „ Hoſtia quæ Sanctis offertur, dignita„ te illis longiſſimè antecellat.

Pref.a.5.

Refellitur ex occaſione novũ dogma Recent. Calvin. quod in ſacrificio novæ legis, victima ſit inferior Chriſto offerente, & Deo cui offertur.

XXXVII

Ut hujus argumentationis fallacia deprehendatur, diſtinguenda ſunt duo ſacrificii genera, in verâ Religione uſitata,

Digitized by Google

alterum in lege veteri, cujus miniſtri fuere homines, alterum in Evangelicâ lege, in quo Deus ipſe voluit Sacerdotis munus & partes obire. Et in veteri quidem lege, Dei Optimi, Maximi, amplitudini atque potentiæ, cum quâ nulla res creata æquari conferrique poteſt, Hoſtia longè inferior erat: Ignobilior item homine offerente, cùm Deus omninò vetaret, humanas ſibi Hoſtias immolari, more impiorum ſacrificulorum, qui teſte Prophetâ Regio *effundebant ſanguinem innocentem, ſanguinem filiarum ſuarum quas ſacrificabant ſculptilibus Chanaam.* Quare cùm Sacerdotibus, plebique adſtanti nefas eſſet ſuo ſanguine & capite, Divino numini litare, cæſam ac mactatam victimam, ſuum in locum ſubſtituebant; quò videlicet indicarent, ut animantem illam in ſuâ, ità ſe in Dei conditoris poteſtate eſſe, paratoſque ſimiliter, ad vitam & ſanguinem, pro ejus gloriâ ac dignitate tuendâ, cùm res poſceret, profundendum. At in ſacrificio Evangelicæ legis quod in Cruce olim peractum eſt, victimam Deo, cui offerebatur, inferiorem fuiſſe nemo dixerit, niſi qui cum Ario aut Neſtorio ſentiat. Etenim qui adversùs Hæreticos illos cùm Eccleſiâ

Pſal. 105.

Digitized by Google

Chriſtianâ ritè exiſtimat, humanam naturam Divinæ, in eâdem Verbi Perſonâ, ſubſtantiali vinculo, fuiſſe conjunctam, fateatur ille neceſſe eſt, cæſam in Cruce victimam, Deo ipſi, cui offerebatur, dignitate parem, atque æqualem extitiſſe. Siquidem graviſſimo Pauli, Sanctorumque Patrum teſtimonio conſtat, non humanam ſolùm naturam, ſed ipſam prorsùs Chriſti Perſonam, victimam fuiſſe illam, quâ unâ potuit Divinum numen in Cruce placari.

Rem Apoſtolus certiſſimè his verbis definiit. *Chriſtus Ieſus qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et rursùm *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & Hoſtiam Deo.* Cùm enim voce *ſemetipſum*, perſona, non natura ſignificetur; iis omninó locis declaratur, ipſam Chriſti Perſonam fuiſſe Hoſtiam & oblationem, noſtræque pretium Redemptionis. Et verò hæc Apoſtoli verba adeò expreſſa ſunt, ut Sanctis ſubindè Patribus viſum ſit, illa in eamdem omninò ſententiam adhibere. Auguſtinus libro quarto de Trinitate, ait in omni ſacrificio quatuor obſervanda eſſe; Illũ qui offert ſacrificium, alterũ cui offertur; rem ipſam quæ offertur; & illos pro quibus offertur; additque mirabili Crucis ſacrificio ſingulare illud con- Tim. 2.

Aug. l. 4. de Trin. c. 14. tigiſſe; *ut idem ipſe unus veruſque, Mediator unũ cum illo maneret, cui offerebat; unus ipſe eſſet, qui offerebat, & quod offerebat.* Iterùm Lib. 10. de civit. c. 20. libro x. de Civitate Dei. *Sacerdos*, inquit, *ipſe Chriſtus offerens, ipſe & oblatio.* Ambro- Ambr. l. 3. de fide c. 5. ſius ita rem contrahit. *Idem Sacerdos, idem & Hoſtia.* Cui Fulgentiùs totidem penè Fulg. lib. de fide ad Petr. c. 2. verbis ſuffragatur, *ſolus Sacerdos & ſacrificium.* Ex quibus liceat in hunc modum ratiocinari. Sanctiſſimi Crucis ſacrificii non alia fuit victima quàm idem ille qui ſacrificium offerebat, & Sacerdotis officio Iur. ibi. fungebatur. Atqui non humana ſolùm natura, ſed Perſona Chriſti, ſeu Chriſtus ipſe Deus & Homo, Sacerdotem agebat: Igitur non natura ſola, ſed Chriſtus ipſe Deus & Homo, in ſalutari Crucis ſacrificio victimæ munus implevit.

XXXVIII Et verò ſi Authoribus illis, qui de re iſtâ adeò temerè pronunciarunt, veniſſet in mentem attendere, quantùm Crucis ſacrificium cæteris præſtet, non equidem affirmaſſent, ejus victimam infimum dignitatis locum obtinere. In aliis certè ſacrificiis, quæ divini numinis colendi vel exorandi causâ fiebant, cùm ſacrificantibus nequaquam animus eſſet, oblationis ſuæ pretium cum præſtantiſſimâ Dei naturâ conferre, aut æquali ſatisfactione ipſius

juſtitiam mitigare; fas erat utique victimam offerre dignitate illi ac merito inferiorem. Atenim in ſacrificio Crucis, cúm id Chriſto propoſitum eſſet, ut tantum Deo honorem tribueret, quantam peccati iniquitas injuriam intuliſſet; & ſimul æquale offenſæ pretium repræſentaret, neceſſe fuit offerri ab eo victimam Deo parem, & ſacrificium ſummo ac infinito pretio æſtimandum: quæ omnia in divinam Chriſti Perſonam, non in humanam ejus naturam conveniebant.

Non me latet Chriſti Perſonam quæ omnium ejus operum origo atque principium eſt, vim illi efficaciſſimam tribuiſſe, hominum ſcelera expiandi & abolendi. Verùm quia optimus ſervator & Dominus non utcumque æterno Patri, ſed abundè, ut ait Paulus, voluit ſatisfactum, ſe totum illi, ſuàque opera tradidit; fructum ei arboremque tranſmiſit. Imitari placuit, ait Chriſoſt. virum liberalem & opulentum, qui amici, decem nummorum nomine, in vincula conjecti fortunam miſeratus, non modó decem illos nummos creditoribus numerat, ſed innumera illis auri argentique talenta largitur.

Non ſicut delictum, ita & donum. Rom. 5. Si unius delicto multi mortui ſunt, multò magis abundantiam gratiæ & juſtitiæ ibid.

Addo inſuper quod quamquam ex dantis principis manu, ſingulare muneri cui-

Si quis propter debitum Decem nummorum in carcerem conjiciatur, veniat autem alius, qui non solú ſolvat illos nummos, ſed etiã innumera auri talenta largiatur: ita nobiſcum factum eſt. Chriſoſt. hom. 10. in Epiſt. ad Rom.

piam pretium accedat; qui tamen illud accipit, eò ſecum honorificentiùs actum exiſtimet, quò nobiliùs ex ſe ac præſtantiùs beneficium fuerit. Ita licet Chriſtus, dùm ſua virtutum opera, ipſamque ſuam naturam humanam æterno Patri in Cruce ſiſteret, maximam nobiliſſimo ſacrificio dignitatem, atque æſtimationem afferret; nemo tamen dubitet futurum illud acceptiùs, jucundiúſque, ſi ſummus ille Sacerdos, non modò naturam humanam, ſed divinam quoque Perſonam offerret.

Atque hæc quidem mihi neceſſe fuit diſputare, ad redarguendam recentiorum Calvinianorum hæreſim, qui ſolam Chriſti humanam naturam victimæ loco in Cruce oblatam fuiſſe contendunt; non ad infringendam argumentationem, quam adverſus Sanctorum cultum intorquent. Quamvis enim concederemus victimam ei, cui litatur, inferiorem eſſe, ut eo humanæ Chriſti naturæ exemplo probatum voluere, nihil tamen contra nos efficeretur, qui apertè demonſtravimus Corpus & Sanguinem, Chriſti in ſacrificio Miſſæ, Deo uni Optimo, Maximo, non autem Sanctis offerri.

XXXIX Verùm ut nihil omninò prohibet Miſſas in honorem & memoriam Sancto-

rum celebrari, ita nihil vetat celebrari illas ad eorum opem & ſupplices ad Deum preces implorandas. Hîc tamen adverſarii rursùs exclamant, déque Concilio Tri-
„ dentino denuò conqueruntur. Rem,
„ aïunt, prorsùs inuſitatam ac inauditam, Præf. a. 5.
„ Dei Filium in altari coram Sanctis
„ famulis ac clientibus ſuis, ſupplicem jace-
„ re; apud ipſos mediatoris atque inter-
„ pretis munere fungi, corporis ac ſangui-
„ nis ſui ſacrificium eis offerre, ut Chriſtia-
„ nis hominibus eorum patrocinium
„ præſidiùmque conciliet! vel quod plus
„ habeat admirationis, Chriſtus ad Patrem
„ ſequeſter ac deprecator accedit, ut Pa-
„ ter ipſe apud Sanctos deprecatorem
„ agat, jubeatque illos ſibi rursùm pro
„ hominibus ſupplicare. Precationum certè
„ ille circuitus, quem Catholici in Sancto-
„ rum cultum inducunt, & Chriſto,
„ quem Sanctis ſubjiciunt, contumelio-
„ ſus, & ipſis planè inutilis videatur. Ete-
„ nim cum jàm Chriſtus ſacrificantibus
„ propitiùs placatuſque ſit, ipsùmque adeò
„ Patris animum illis conciliarit, quid porrò
„ neceſſe eſt, tùm æternum Patrem, tùm
„ Filiũ ſe ad Sanctos convertere, ac rogita-
„ re, ut pro hominibus, quibus ipſi ritè pla-
„ cati ſunt, ſuum utriùſque numen exorent?

Verùm ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, omninò conſequitur, nequaquam Chriſtum Sanctis, ſed contrá Sanctos ipſi Chriſto in Miſſæ ſacrificio ſupplicare; Sanctos ad Chriſtum, velut ad certum mediatorem, ac deprecatorem accedere, qui faciles ipſis ad æternum Patrem aditus molliat, ejuſque ſanctiſſimum numen ad audiendas eorum preces inclinet. Res autem ita ſe habet. Cùm tenuitatis noſtræ optimè conſcii intelligamus minorem vim & efficacitatem precibus noſtris ineſſe, ad Deum Optimum, Maximum exorandum; ad Sanctos confugimus, quos certè majori apud ipſum pollere gratiâ arbitramur. Cùmque nec illos ipſos quantumvis Dei amicos, ſat magnæ authoritatis exiſtimemus, ad divinam iram mitigandam, & opportuna ad ſalutem auxilia à Deo certiſſimè impetranda; Chriſti Corpus & Sanguinem aris imponimus, ut Sancti, per ejus labores & merita, conjunctis nobiſcum animis ea poſtulent, quæ nec nobis, nec ipſis Deus annueret, niſi ſanctiſſimæ victimæ nomen & preces adhiberemus. Numquid hæc omnia rectè & or-ordine fiunt? Numquid cùm Religionis Chriſtianæ legibus ritè conſentiunt?

Benè

Digitized by Google

„ Bene habet, inquiunt; verùm ſi ſacri- XL.
„ ficium Corporis & Sanguinis Chriſti ex
„ ſe infinito pretio æſtimetur, quænam ei
„ è Sanctorum manibus & miniſterio, vir-
„ tus & robur accedet? Annon vim habebit
„ efficaciſſimam divini numinis placandi &
„ exorandi, ſive à Sacerdote, ſive à Chriſto
„ ipſo, abſque Sanctorum operâ offeratur?

Ut nodus ille ſolvatur, tria breviter ſtatuo. Unum eſt Chriſti ſatisfactiones & merita infiniti quidem pretii, & pluſquàm ſatis eſſe ad omnia hominum ſcelera expianda. Alterum, decreviſſe quoque Deum eorum fructum hominibus conferre, quoties Chriſto viſum fuerit. Tertium, Chriſtum tamen nullâ ſe ſponſione obligaſſe ad illum mortis ſuæ fructum, quocumque tempore, aut quoties Miſſæ ſacrificium celebratur, aut ſingulis ſive ad aras facientibus, ſive aſtantibus, æqualiter impartiendum. Quare uno, aut pluribus deprecatoribus indigemus, qui Chriſtum orent & obteſtentur, ut nos in Communionem vocet meritorum ſuorum, ſuæque mortis fructum nobis aut aliis nominatim aſpergat. Deprecatores autem illi ab Eccleſia Catholicâ adhibentur, Sancti præſertim Martyres, quorum nomina in ſacrificio memora-

Sancti Chriſtũ orant ut Miſſæ ſacrificiũ offerat Deo Patri, ejuſque fructum hominibus conferat.

Digitized by Google

mus, ut Deus Pater, Chriſtuſque Filius humillimis eorum precibus exorati, Chriſti ſatisfactiones, & ſacrificii fructum nobis impertiant.

XLI. Et verò donum aliquod aut munus à Rege impetraturi, ad Principem ejus filium interdùm accedimus, cujus videlicet poſtulatis ſoleat Pater ultrò libenterque concedere; ſive ab ipſo, ſive ab aliis, ejus nomine, deferantur. Interdùm unum aliquem ex aulicis Regio principi chariſſimum, ac de illo optimè meritum adire placet, quòd probè intelligamus, Principem ejus impulſu, cauſam noſtram majori ſtudio apud Patrem acturum, Regemque ipſum, in gratiam filii, hominem illi amiciſſimum, chariſſimumque liberaliter accepturum, & votorum compotem abundè facturum. Hæc ſanè nec honeſtati, nec rationi adverſari videntur. Atenim via quam inimus, dùm rogamus Sanctos, ut per Chriſti merita, Dei Patris opem & miſericordiam implorent; nobiſque concilient; hæc, inquam, via non magis à ratione & honeſtate aberrat, quàm cùm virum nobilem, in aulâ Regii principis gratioſum deprecamur, ut, Principis, nomine, beneficium ac munus aliquod à Rege parente nobis exoret. Sicut enim

hujus aulici interventus neque noſtram, erga Regem ac Principem, fiduciam, neque eximiam de eorum potentiâ & liberalitate exiſtimationem imminuit; ita neque, de ſingulari noſtrâ, erga Chriſti merita, & Dei benignitatem fiduciâ, quicquam prorsùs Sanctorum invocatio detrahit.

XLII. Equidem cùm Sanctorum nomen in Miſſæ ſacrificio memoramus, ipſoſmet compellare ſolemus interdùm, ut res noſtras Deo commendent, interdùm ad Deum ipſum orationem preceſque convertimus, non ſanè ut roget, ſed jubeat illos nobis adeſſe, cauſamque noſtram apud ipſum agere, atque enixè tueri. Novi hunc orandi ritum nonnulli, è Miniſtris Calvinianis, ſcrupulum injeciſſe.

„ Enimverò, inquit, cùm Deus rerum
„ noſtrarum ità ſtudioſus videatur, ut ve- Pref. a. 5.
„ lit Sanctos ad noſtras partes allicere,
„ eorumque nobis patrocinium & preces
„ conciliare, quidni ipſe nobis ultrò con-
„ cedat quod velit Sanctos abs ſe, imperatis
„ illis precibus, flagitare? Quàm levis infirmaque ſit iſtæc argumentatio patebit exemplo Jobi ſuperiùs memorato. Cùm enim Deus in Jobi amicos ita affectus placatuſque foret, ut optaret virum ſanctiſ- *Ite ad ſervum meum Iob: faciē ejus ſuſcipiam* Job 42. v. 8.

ſimum pro iis deprecatorem agere. Quidni ipſe ultro veniam illis & impunitatem dabat, quàm vellet Jobi precibus indulgere? Quæro rursùm an res à pietate ac Religione aliena foret, cùm vir fortis Judas Machabæus, aliique Patriarchæ ſapientiſſimi Angelorum præſidium à Deo, verbis hiſce ſolemnibus, poſtulabant. *Mitte Domine Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis Brachii tui.* Num amabo viri æque Religioſi ac ſapientes optimè noverant, Dei brachium ſuaptè virtute potentiſſimum ac valentiſſimum eſſe, nec à nobis unquam recedere, faſque illi ac pronum eſſe, opem nobis per ſe atque auxilium ferre, quod poſſit Miniſtrorum operâ ſtudióque præſtare.

2. Machab. 15. v. 23.

Cùm itaque Deus ad fortiſſimorum virorum ſalutem, & ſecuritatem, ita ſuâ ſponte propenſus eſſet, ut eos Angelorum cuſtodiâ, præſidióque muniret; cur non eos ipſe, abſque Angelorum operâ, brachii ſui robore tuebatur? Aut cur illi ipſi viri ſanctiſſimi eo circuitu utebantur, ut vellent Deum, Angelorum fortitudine ac vigilantiâ, præſtare, quod poſſet ipſe ſuâ unius virtute, concilioque perficere? Reſpondebunt utique quod viſum fuerit, at nos idem penitùs reponemus.

Digitized by Google

Aſſeremus nimirùm, ut Deũ rogare licet, vel ſuo nos ipſe auxilio tegat; vel Angelis nobis auxiliandi curam parteſque cõmittat; ita fas eſſe rogare, ut vel ipſe nobis opem afferat, vel jubeat Sanctos nobis opitulari. Aſſeremus, ut Deum ipſum rectâ adire licet, ad Angelorum cuſtodiam & præſidium obtinendum; ita fas eſſe illi proximè ſupplicare, ad Sanctorum apud ipſum preces, atque auxilium impetrandum. Et fateantur adverſarii neceſſe eſt, morem illum nec ſingularem, nec alienum eſſe; imò magis idoneum & expeditum, quàm ſi Sanctos ipſos & Angelos proximè alloqueremur. Cùm enim ſuperiùs dictum ſit, non aliâ ratione preces noſtras à Sanctis audiri, quàm quia à Deo illis ſignificantur & revelantur; cùm Deo Optimo, Maximo ſupplicamus, ut jubeat Sanctos adeſſe nobis, divinumque ejus numen pro ſalute noſtra obſecrare; via quidem propior eſt & compendiaria magis, quàm ſi Sanctos ipſos aut Angelos rogaremus, ut ſuo nos auxilio ac precibus adjuvent.

Quamobrem quibuſcumque tandem XLIII. erroribus atque ambagibus res iſta ab adverſariiis implicetur, cùm Eccleſia Catholica, in Miſſæ Canone, per Apoſtolorum

Martyrúmque preces ac nomen, ſuam à Deo opem expoſcit his verbis; *quorum meritis, precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* Et alibi. *Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut Beatus Andreas Apoſtolus, apud te, ſit pro nobis perpetuus interceſſor.* Et rursùm, de Beato Stephano, *Tribue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis perſecutoribus exoravit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Aſſerimus eas omnes precationum formulas in hanc planè ſententiam accipiendas eſſe. Chriſte Jeſu tuam nobis opem porrige; Paſſionis Mortiſque tuæ fructum nobis imperti, humillimâ Apoſtolorum ac Martyrum tuorum deprecatione placatus! Æterne Pater, Chriſti merita transfer in nos, in gratiam ſanctiſſimæ victimæ, quàm Apoſtoli Martireſque iſti, communibus nobiſcum ſtudiis, tibi ſiſtunt, vel quàm nos eorum nomine exhibemus! Deus Optime Maxime, cùm, tenuitatis noſtræ conſcii, probè intelligamus Sanctos majori, quàm nos, apud te gratiâ pollere, eorumque tibi preces noſtris longè gratiores, ac jucundiores accidere, jubeas, quæſo, ut illi tuum pro nobis numen deprecentur, noſtramque apud te & Filium, cau-

Digitized by Google

ſam agant ſtrenuè ac diligenter!

Cum; itaque, ex mente etiam adverſariorum, non ea Eccleſiæ cujuſpiam ſententia exiſtimanda ſit, quæ illi tribuitur, ſed quam ipſa, bonâ fide, palàm docet ac profitetur; coram Deo & Angelis conteſtamur, non aliâ ratione, quàm quæ modò expoſita eſt, Sanctorum nomen atque memoriam in Miſſæ ſacrificium à nobis induci. Hîc autem à Scriptoribus Calvinianis vel acerrimis, & pugnaciſſimis ſciſcitari placet, quid eorum omnium, Chriſti Redemptoris, ac Mediatoris dignitati vel minimùm adverſari videatur? Verûm ad hæc attendere hominibus illis numquam placuit, ut ſolenni carmine ſuo exclamare perpetuò liceret, proh Impietatem! proh Idololatriam! adeóque indoctam plebem ab Eccleſiæ Catholicæ Communione, odioſis hiſce vocibus, abſterrere. Atque ut Sanctorum, ſic Imaginum cultum, iis artibus, iiſque calumniis oppugnabant, ſed nihilò feliciore exitu, ut ex ſequenti diſſertatione conſtabit.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA.

De Cultu Imaginum Sanctorum.

I. Cultus Imaginũ Sanctorũ non eſt Idololatria.

ARGUMENTA duarum ſuperiorum diſputationum cum iis quæ modò dicturus ſum, ita connexa videntur, ut velut duo principia ſtatui poſſint, ex quibus, quod mihi in præſentiâ eſt propoſitum, rectiſſimè concludatur, cultum videlicet, qui Sanctorum Imaginibus defertur, omni prorsùs Idololatriæ ſuſpicione ac notâ carere. Quodcumque enim de cultu Religioſo commentum adverſarii nobis affingant, affirmare ſanè non audeant, Imaginibus Chriſti, & Sanctorum eundem à nobis cultum, eandem reverentiam exhiberi. Fateantur neceſſe eſt famulorum nos effigies, longè inferiori cultu, quàm ſummi Domini & Moderatoris Imagines venerari. Ex quibus planè conſequitur, quod cùm cultus Imaginum Chriſti, ut ſuperiùs

2. Quia cultus Imaginũ Chriſti non eſt Idololatria.

riùs

rius abundè probatum eſt, Dei Majeſtatem ac jura violare nullatenus videatur, cultus Imaginum Sanctorum, qui longè inferior eſt, nec ejus dignitatem, nec debitum ei cultum imminuat.

Præterea ſi Idololatriæ labes aliqua cultui rerum creatarum admixta foret, cùm Sancti perindè ac eorum Imagines res verè creatæ ſint, majùs certè in Sanctorum quàm in Imaginum cultu ſubeſſet Idololatriæ ſuperſtitioniſque periculum. Et ratio in promptu eſt, quia cùm Sancti multò præſtantiores ſint lapideis æneiſque ſimulachris, eos utique majori reverentiâ atque honore dignamur. Quamobrem cùm ex ſuperiùs dictis liquidò conſtet, honorem qui ab Eccleſiâ Catholicâ Sanctis tribuitur, nec Idolololatriam ſapere, nec Religioni, divinoque cultui adverſari: ex iis quoque conficitur cultum Imaginum neque in Deum injurioſum eſſe, neque ullâ ratione cum Religionis virtute pugnare. 2. Quia cultus SS. non eſt Idololatria.

Huc quoque revocare licet ratiocinationem de Imaginibus Chriſti ſuperiùs inſtitutam, eodemque pacto aſſerere cultum Imaginum Sanctorum, Idololatriam haberi non poſſe, ſive cultus ipſe, ſive ejus materia ſpectetur. Primò enim hujuſ- 3. Quia Imagines Sanctorum non ſunt idola, nec earum cultus Latria eſt.

modi Imagines objectum ſeu materia Idololatriæ eſſe nequeunt, cùm Idola non ſint, neque è genere illorum ſimulachrorum, quibus ſolebant prophani homines, falſorum numinum formam & ſpeciem adumbrare. Deindè nequaquam nobis animus eſt, eo cultu infimam erga Imagines ſervitutem, ſummumque earum in nos Dominatum, atque imperium profiteri; quæ omnia concurrere neceſſe foret, ut cultus ille Idololatriæ nomine cenſeretur.

4. Quia Deus hujuſmodi cultum approbat miraculis, quæ facit ad præſentiam Imaginū Virginis, & Sanctorum.

Verùm ut Eccleſiæ Catholicæ ritus ille, demonſtratione ad communem intelligentiam magis accommodatâ, ab omni prorsùs calumniâ vindicetur, aïo cultui & venerationi quæ Sanctorum Imaginibus tribuuntur, Idololatriæ notam inuri non poſſe, niſi Deus ipſe hujuſmodi Idololatriæ author habeatur; quandoquidem ille eum cultum palam approbat, ſuoque teſtimonio atque authoritate confirmat. Ut autem hæc argumentatio ab adverſariis, etiam invitis ac reluctantibus, fidem extorqueat, ex iiſdem omninò principiis conficienda eſt, quibus illi utuntur, dùm alia Chriſtianæ Religionis dogmata utriſque communia, adverſus Judæos & Ethnicos, conjunctis nobiſcum animis, tuentur.

Digitized by Google

Primò quidem fateantur neceſſe eſt, vera germanaque, ſeu Evangelica, ut vocant, miracula, à Deo ſolo effici poſſe, atque in illis tanquam inſignitas, ſummæ ejus potentiæ & virtutis, notas apparere. Cùm enim nullo prævio apparatu, adhibitiſque etiam cauſis ac qualitatibus diſſentaneis, mirabiles ſubitæque fiunt mutationes, quæ omnium oculis patent, ac diutiſſimè perſeverant; exempli gratia, cùm exiguo pulvere, aut luto, ligneâque aut papyraceâ imagine admotâ, mutus quiſpiam, & ab origine elinguis, vocis uſum, cœcus item viſum recipit; membris captus crura explicat; æger propè depoſitus convaleſcit; latè hiantis vulneris os repentè obducitur; hæc ſanè nec Dæmonum induſtriâ, nec Magorum præſtigiis, ſed Dei unius vi ac poteſtate efficiuntur. Enimverò cum hæc omnia vim atque efficientiam ſuperent Angelorum, Hominum, Dæmonum, Aſtrorum, Plantarum, Elementorum, & cæterarum cauſarum naturalium, quæ nec formam corruptam inſtaurare; nec alienis ac minimè idoneis inſtrumentis, efficere quicquam poſſunt; ad Deum certe in iis caſibus confugere neceſſe eſt, qui cùm naturæ author ac moderator ſit, vim ſibi & nonnullarum

III. Deus ſolus eſt autor miraculorum.

rerum efficientiam propriam eſſe voluit, quam naturalibus cauſis nequaquam impertiit.

IV. Deus miraculis loquitur. Adde, miracula ut Dei opera, ità velut ejus vocem ac ſermonem eſſe; hoc eſt ſolitum illum ut verbis, ita miraculis ſuam Mortalibus mentem aperire. Quemadmodum enim homines, intimos animi ſenſus, verbis aut ſignis, ita Deus ſua mentis cogitata, tùm verbis, tùm ſignis mirabilibus, patefacere ſolet, atque exteriùs indicare. Ita docet Paulus his verbis. *Conteſtante Deo ſignis & portentis.* Marcus verò, *Domino ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Chriſtus quoque rogatus à Judæis, ut alios quàm ſeipſum, cauſæ ſuæ teſtes produceret, hujuſmodi dumtaxat mirabilium operum teſtimonium voluit adhibere. *Si mihi non vultis credere, operibus credite: Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc Teſtimonium perhibent de me.* Demùm inter alios Sanctos Patres Auguſtinus hæc habet. *Deus mirabilibus operibus loquitur.*

Hebr. 2. 4. Marc. 16. 20. Ioa. 10. 38. 25. Ep. 49. q. 6.

Deus nõ magis poteſt rem falſam miraculo, quàm revelatione confirmare. Ex quibus perſpicuum eſt, Deum Optimum Sanctiſſimumque, ut mentiri & falſum dicere prorsùs nequit, ſic nec miracula patrare poſſe, ad errorem & ſcelus aliquod mortalibus ſuadendum. Cùm

enim miracula ſint inſtar divini ſigilli, ac certiſſima divinæ potentiæ nota; non minús à Dei ſapientiâ ac ſanctitate alienum eſt, divino hujuſmodi ſigno, quàm verbo ac revelatione, mendacio authoritatem ac fidem afferre. Res tamen ita contingeret, ſi Imaginum cultus Idololatriæ vitio laboraret. Siquidem Calvinianorum æquiſſimi inficiari vix audeant, noſtrâ hac, & ſuperioribus ætatibus, Deum hujuſmodi cultum pluribus, iiſque inſignibus miraculis decoraſſe.

V. Deus veris miraculis cultum Imag. comprobavit.

Hiſtorici ſanè complures ſcripſere miracula fieri quondam ſolita, ad celebrem Dei Matris Imaginem, quæ Conſtantinopoli in Blaquernis colebatur, & in cujus tutelâ, Urbs ipſa, totumque Orientale Imperium eſſe videbatur. Suis item monumentis conſignarunt miracula alia ſimiliter patrata, ad contactum Imaginum ſanctiſſimorum virorum Simeonis Stylitæ, Theodori Siceotæ, Anaſtaſii Perſæ, quæ quidem in omnes Orbis Regiones diſtrahebantur, & ab omni hominum genere velut perennes curationum fontes, & divinorum beneficiorum certiſſima pignora cupidiſſimè expetebantur. Recentiores quoque Hiſtorici miracula accuratè recenſent, quæ hac ætate noſtrâ effici-

Greg. M. ep. 11. Theoph. in Heracl. Theodoret. in Simeone. Georg. Presb. in Theod. Siceotâ. Conc. Nic. 2. ex Sophr.

untur coram Imaginibus Deiparæ Virginis, quas Deus in ſingulis penè Europæ Regionibus, tanquam præſidium tutiſſimum collocavit. In Germaniâ celeberrimum eſt Catholicæ pietatis monumentum, Imago Virginis Paſſavienſis: Virginis Hallenſis in Belgio: in Italiâ Virginis Lauretanæ: in Hiſpaniâ Cæſar-Auguſtanæ Virginis: in Galliâ Virginis Lætitiæenſis, aut Carnutenſis. Miracula iis in locis edita, ſeveriori animadverſione, & acriori examine explorata, Scriptores ſapientiſſimi, iique doctiſſimi, memoriæ prodiderunt. Ac ne Galliæ finibus exeamus, nemo neſcit in ſingulis ferè Regni Provinciis, eidem Deiparæ Virgini Imagines poſitas, maximo populorum, quos miraculorum fama undiquè evocat, conventu ac frequentiâ celebratas. Viſuntur pluribus in locis, Imagines Sanctorum Franciſci Saleſii, Vincentii Ferrerii, Franciſci Xaverii, aliorumque. Vivunt & ſpirant etiamnùm innumeri teſtes mirabilium curationum, & incolumitatis ab ægris mortalibus ſæpiùs impetratæ, ad conſpectum, contactumque earum Imaginum; extantque palàm ſuſpenſa ad aras, hujuſmodi miraculorum clariſſima & certiſſima monumenta.

Lipſius Virgo Hallens. Turſell. Virgo Lauret.

Vim certè hujus demonſtrationis aliâ ratione adverſariis declinare non licet, quàm ſi vel omnia omninò, vel ſaltem ſingularia iſta miracula rejiciant. At enim miracula omnia, etiam primis Eccleſiæ temporibus, à Martyribus, aliiſque viris ſanctiſſimis patrata, quibus Chriſtiana Religio mirificè confirmatur, ſanè aſpernari & inficiari non audeant. Sed neque recentiora quæ à Catholicis proferuntur, universè mendacii ac falſitatis arguerint? Nam ſi bonâ fide diſputare, ac vetera præjudicia exuere omninò voluerint, intelligent profectò, miraculis quæ fiunt coram Imaginibus Sanctorum, iiſdem rationibus fidem conciliari, quibus priorum temporũ miracula probari conſueverunt. Intelligent fas eſſe Judæis atque Ethnicis, antiqua Chriſtianæ Religionis miracula iiſdem cavillationibus argutiiſque impetere, quibus recentia iſta Eccleſiæ Catholicæ miracula, Calviniani Scriptores oppugnant.

VI. Iiſdem rationibus probatur, vera miracula olim in Eccleſiâ Chriſtiana, & nunc in Eccleſiâ Cathol. fuiſſe patrata.

Cùm enim illi ex iis miraculis, quæ primis Eccleſiæ temporibus, ab Apoſtolis ac Martyribus fiebant, Chriſtianæ Religionis veritatem, conjunctis nobiſcum animis ſuadere conantur; Atheique, Ethnici, & ſcelerati quicumque homines, rebus hiſce mirabilibus, captuque difficilibus recla-

mant; quibus amabo rationibus utimur ad eos redarguendos, ac refellendos? Contendimus nimirùm, ipſique adverſarii nobiſcum vnà contendunt, rei cuipiam quantumcumque mirabili, dictuque inopinatæ fidē ſanè conciliari, authoritate plurium Scriptorum, quorum ea ſit probitas ac ſapientia, ut nec ipſi in errorem induci poſſint, nec alios in errorem inducere; ea verò modeſtia ac providentia, ut res ſuâ ætate geſtas confingere, ac memoriæ mandare non audeant, quarum falſitatem innumeri teſtes etiamnùm ſuperſtites, palàm certòque convincant. Et verò niſi homines ſapienti illâ opinione ducerentur, concideret prorsùs humana fides, vitæque civilis ſocietas omnis dirimeretur, cùm vellent homines iis tantum rebus fidem adhibere, quas ſuis ipſi, vel oculis, vel auribus uſurparent. Veniret nobis in mentem dubitare, an ille qui dictus eſt Alexander aut Cæſar; an ulla unquam Athenis, aut Romæ Reſpublica extitiſſet. Revocarentur in dubium res olim bello, à præſtantiſſimis Ducibus præclarè, ac fortiter geſtæ; opera item à Phidia, Archimede, aliiſque Opificibus celeberrimis, ſingulari ſolertiâ, artificioque perfecta. Ambigeretur an Japonum uſpiam, & Sina-

rum

rum Regio, an India, & novus Orbis extaret. Cuilibet demùm homini dubium incertumque foret an ex eâ gente, ex iis parentibus ortus ſit: Si enim plurimi autores iique graviſſimi, ac ſapientiſſimi decipi poſſint, alioſque decipere, liceat utique de rebus illis omnibus dubitare.

Eâ omninò ratione adverſarii, dùm contra Atheos alioſque ſolutioris vitæ atque ingenii homines, pro Chriſtianâ Religione propugnant, eâ inquam ratione, authoritatem tuentur Hiſtoricorum qui res olim à primis Chriſtianis & Martyribus mirabiliter geſtas, monumentis Eccleſiaſticis conſignarunt. Quamobrem mirum illis minimè videri debet, quòd eorum morem inſtitutumque retinentes, quam illi adverſus communes hoſtes argumentationem adornant, eandem nos, in redarguendam ipſorum ſententiam, convertamus. Contendimus itaque, ut ex multitudine & ſapientiâ Hiſtoricorum, qui antiqua ſuiſque temporibus edita ſcripſere miracula, maximum eorum teſtimonio robur accedit, ita ex multitudine ac ſapientiâ Autorum & Teſtium, qui de miraculis ad Deiparæ & Sanctorum imagines fieri ſolitis, omni aſſeveratione VII.

Digitized by Google

affirmant, ſummam illis certiſſimamque fidem conciliari. Addimus veteres Scriptores illos majori integritate atque modeſtiâ præditos, quàm ut Religionem ſanctiſſimam figmentis & mendaciis ſtabilirent; quin immò ea ratione diſturbaturos fuiſſe illos, quod ſpectare ac moliri videbantur. Cùm enim commentitia illa fictaque miracula ab eorum æqualibus redargui facilè poſſent, pronum erat exiſtimare, Religionem illam nec ſanctam nec divinam eſſe, quæ non niſi commentis, fictiſque fabulis niteretur, nec alio ſanè quam mendaciſſimorum hominum teſtimonio probaretur. Quid vetet pariter affirmare, recentiores iſtos miraculorum Scriptores, inter quos Epiſcopi, Magiſttatus, Doctores, viri Religioſi numerantur, majori eſſe ſapientiâ ac probitate, quàm ut velint orbi univerſo fucum, hujuſmodi mendaciis, facere. Adde quod, cùm eorum miraculorum falſitas patere facilè poſſet, adeò non Sanctorum & imaginum cultum promoverent fictæ iſtæ narratiunculæ, ut potiùs omnem ei authoritatem fidemque detraherent.

III. Cùm enim Scriptores illi miracula recenſent coram Imagine Virginis Laure-

Digitized by Google

tanæ, præſente ac ſtupente frequentiſſimâ plebe patrata: vel coram ejuſdem Virginis Imagine columnæ impoſitâ, totâ mirante Cæſar-Auguſtâ: aut coram Imagine Hallenſis Virginis, in luce atque oculis Belgii univerſi: vel Neapoli coram Imagine S. Franciſci Xaverii, ſpectante item ac mirante ampliſſimâ civitate. Rurſùs cùm noſtrates authores ſimilia miracula commemorant non ſemel edita, ad alias ejuſdem Deiparæ Imagines, in ſingulis penè Galliæ Provinciis collocatas, ac rebus ſingulis circumſtantibus locorum, & temporum accuratè, indicatis, iiſque nominatim appellatis, qui earum rerum teſtes ac participes extiterunt. Equidem niſi hæc omnia certiſſimè conſtarent, tot, contra ſe, Scriptores illi, teſtes atque adverſarios concitaſſent, quot eâ tempeſtate illis in urbibus incolæ, aut advenæ verſabantur; imò fas eſſet etiam nunc, hujuſmodi mendacia ac figmenta convincere, eorum teſtimonio qui fortè ſuperſtites vitam, ad noſtra hæc tempora, propagarunt,

Exclamarent ſiquidem illi alter ad alterum, ô impudentiam ſingularem! ô luculentum, & inſigne mendacium! Quo enim tempore res illa dicitur conti-

Digitized by Google

giſſe, in illud templum ambo convene- ramus, neque planè nobis viſa eſt, noſtriſ- que oculis aut auribus ullatenùs uſurpata. Eâ tunc in urbe ambo commorabamur, nec de eo miraculo quidquam nobis au- ditum eſt, quod tamen fuerat omnium ore ac ſermonibus celebrandum. Recta eſt, opinor, hujuſmodi argumentatio. Et confirmatur ſimili ratiocinatione Calvini, dùm à Judæorum calumniis vindicat inſig- ne Chriſti miraculum, exanimem, quar- tum jam diem, Lazarum à mortuis exci- tantis. Ait enim Calvinus, rem peractam in tam publicâ luce, tot coram teſtibus, Chriſto, ſeu amicis, ſeu inimicis, ut non- niſi per ſummam temeritatem atque invi- diam, poſſet indubium revocari. Deindè, ſi falſum, inquit, fictitiumque fuiſſet miraculum, non illud certè Scriptores ſacri, eo ferè tempore promulgaſſent, quo res contigiſſe dicebatur: cùm enim teſtes appellarentur Judæi plerique, Chriſti lau- dum invidi & acerrimi obtrectatores; ii ſanè impudenti mendacio apertiſſimè re- clamaſſent. Silicet animi ac calami firmi- tas, quâ Scriptores viri boni ac ſapientes, rem, ſuâ ætate, & ſuis penè ſub oculis geſtam affirmant, & cujus falſitas à mul- tis teſtibus vivis, ac ſuperſtitibus redar-

gui poteſt ; hæc inquam animi firmitas argumento eſt , certiſſimè Scriptoribus illis , de rei veritate, conſtare.

IX. Liceat demùm inſtitutam olim ab Auguſtino , de primis Chriſtianorum miraculis , argumentationem ad noſtra hæc miracula, totidem ferè verbis, transferre. Vel miracula omnia , quæ coram Imaginibus Deiparæ Virginis , & Sanctorum , edita Scriptores Catholici perhibent , commentitia fictàque ſunt ; vel ſaltem unum aliquod verum ac ſincerum fuiſſe conceditur ? Ea certè miracula nemo dixerit falſa omnia & ſuppoſita fuiſſe ; omneſque & ſingulos eorum Scriptores , qui jam in Bibliothecam ampliſſimam excrevere, aut deceptos ipſos , aut alios decepiſſe , cùm hujuſmodi miracula , omnibus licet locorum & temporum notis conſignata , ſcriptis publicis , poſterorum memoriæ prodiderunt. Si vel unum ſingulare verum certóque compertum ſit , ex eo planè efficitur imaginum cultum , Idololatriæ genus nequaquam eſſe , alioqui Deus, qui miraculorum author eſt , Idololatriæ fautor & amplificator foret , qui mirabili illo , erga hominem coram Imagine ſupplicantem , beneficio invitare illum atque allicere videretur, ad ſimilem rursùm ei-

Bibliot. Marian. Philip. Marac.

Digitized by Google

dem Imagini reverentiam exhibendam.

Atque hæc abundè ſufficiant ad probandum illud, quod unum mihi propoſitum eſt, cultum Imaginum ab omni Idololatriæ ſcelere procul abeſſe. Non perſequar alia capita, neceſſitatem, utilitatem, præſtantiam hujuſmodi cultûs, quæ ab authoribus Catholicis fusè jam tractata ſunt; mihi enim, ne actum agerem, ea ſolùm argumenta diluenda viſa ſunt, quæ nobis à recentioribus Calvinianæ ſectæ Miniſtris opponuntur.

X. Inter cætera frequentiùs illud verſatum eſt, & pluribus ambagibus implicatum, quod à Conciliis Oecumenicis petitur, è quibus quatuor potiſſimùm delegerunt, quæ acriori cenſurâ examinarent. Atque ut eorum fallaciæ certiùs pateant, ea breviter perſtringo quæ in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ fuſiùs exponuntur.

Cùm intelligerent Iconomachi Imperatores, adhibitam vim Imperiumque in hæreſi inducendâ, gravem ſibi ubique terrarum conflaſſe invidiam, operæ pretium exiſtimarunt ſua decreta, legitimæ
An. 754. poteſtatis authoritate, munire. Eam ob rem Conſtantinus Copronymus numeroſum Epiſcoporum cætum Conſtantinopolim, in Urbem Regiam, congregavit,

Digitized by Google

qui, ut Principi obſequerentur, in cultum Imaginum conclamarunt, ac penitus abrogandum cenſuerunt. Conſtantino è vivis ſublato, Leo ipſius Filius conſilio Matris Irenes, Epiſcopos rursùs Nicæam Bithyniæ, in concilium convocavit, ubi 787.
Conſtantinopolitani decreta reſciſſa ſunt, cultuſque Imaginum in integrum reſtitutus. Paucis poſt annis alia Synodus Francofurti habita eſt, ut cognoſceretur de 794.
causâ Felicis Urgelitani, & Elipandi Toletani Antiſtitum, qui revocato Neſtorii dogmate, geminas in Chriſto Perſonas ſtatuebant, quarum unâ naturalis, alterâ Dei Filius adoptivus exiſteret. Adrianus Romanus Pontifex, miſſis ad Concilium Legatis decreta Nicæna tradidit, cum Occidentalibus Eccleſiis, quæ eum in locum convenerant, communicanda, ac promulganda. Et quanquam hujus Francofordienſis Concilii acta Doctorum virorum animos, in partes varias, diſtraxerunt, conſtat tamen Occidentales omnes Eccleſias, vel eo tempore, vel poſtmodum, Nicæna decreta ſuſcepiſſe, ac religioſè obſervaſſe ad tempora uſque Concilii Tridentini, quod rata illa firmaque habuit ſuâque authoritate ampliùs roboravit.

Conc. Trid. ſſ. 25. de Invoc. SS. An. 1563.

Digitized by Google

Eſt enim illud jure conſultorum effatum ſauctiſſimum, cœtûs cujuſpiam decreta nulliùs prorsùs eſſe roboris, niſi vocentur ii, quibus jus fuerit intereſſe. Proindè Chriſtianis Doctoribus perſuaſum ſemper fuit, nullum Concilium ritè congregari abſque conſenſu Romani Pontificis, nec niſi vocatis Orientalibus Patriarchis, priùſquam illos Schiſma, ſeu nonnullarum opinionum diſſenſio ab Eccleſiâ Catholicâ diſtraxiſſet. Et verò quantumcumque adverſarii ab Eccleſiâ Romanâ abhorreant, inficiari certè non auſint, hanc fuiſſe mentem orbis Chriſtiani univerſi, uſumque Conciliorum omnium, antequam ipſi, ſeceſſione ſuâ, novam iſtam ſocietatem ſectamque conflaſſent. Præter Hiſtoricos benè multos, Romanoſque Pontifices, Marcellinum, Leonem, Damaſum, Gregorium Magnum, alioſque majori utique ſanctimonia præditos, quàm ut in gratiam ſuæ ſedis prævaricari voluerint, ſuadent illud decreta Conciliorum primi Nicæni, & Calcedonenſis, quibus adverſarii fidem abrogare non audeant. Novimus, inquit Athanaſius, hanc fuiſſe mentem magnæ Synodi Nicænæ, ut abſque conſenſu Romani Pontificis nullum uſquam Concilium haberetur. Concilium

Defectus Concilii Conſtantinop. ſub Copronymo.

Marcell. Ep. ad Antioc.
Leo Ep. ad Theod.
Dam. Ep. 3. ad Steph.

Concil. Calc. Act. 1.

Conc. Nicæ. 1. apud Athan. Ep. ad Solit.

Digitized by Google

quoque Calcedonenſe, non aliam ob cauſam, viſum eſt prædatoriam Epheſinam Synodum execrari, quàm quòd, injuſſu Romani Pontificis, conveniſſet.

XII. Objiciat fortaſſe nonnemo intelligendum illud de primis hiſce temporibus, quibus Eccleſia Romana Chriſtianam Religionem caſtè integréque colebat: at ubi fide illâ purâ & incorruptâ excidit, eo jure prærogativæ pariter excidiſſe. Verùm omiſſâ iſtâ corruptæ Doctrinæ ac Diſciplinæ calumniâ, quam Lutherani & Calviniani ſuæ ſeceſſioni prætendere ſoliti ſunt, ad fucum rudioribus hominibus faciendum; aïo tempore hujus Copronymiani Concilii, fuiſſe Græcos cum Eccleſiâ Romanâ, Religionis ſocietate conjunctos, perſuaſumqae illis, ejus Eccleſiæ conſenſum ad ſuperiora omnia Concilia adhibitum, ac porrò adhiberi debuiſſe, adeòque caſſum irritumque eſſe illud quod Romanus Pontifex, neque ſuâ, nec Legatorum ſuorum præſentiâ honeſtaret. Et quàmquam abſoluto dimiſſóque Concilio, ejus defenſores ſe à Romani Pontificis, & Patriarcharum Orientalium communione ſejunxerint, ante tamen quàm inchoaretur, habebant illos ſolùm in numero Adverſariorum, qui re nondùm

judicatâ, æquo ſaltem jure, contrariam ſententiam tuebantur. Atqui res eſt planè inaudita & inuſitata, cùm aliqua controverſia à duabus partibus diſceptatur, partem unam ſibi munus judicis arrogare, litemque dirimere, parte alterâ non vocatâ, cujus perindè res agitur, imò quæ ſibi judicis munus in eâ controverſiâ, pluribus exemplis, & graviſſimis rationibus vindicat.

Pervidére nodum Lutherani Centuriatores, cùm ſcripſere Romanum Pontificem vocatum quidem ad Synodum, verùm nullos miſiſſe Legatos. At mendacium illud eſt unum è multis, quibus Scriptores iſti Eccleſiaſticam Hiſtoriam inquinarunt. Etenim apud autores cæteros, qui res iis temporibus geſtas memoriæ tradiderunt, de invitato ad Synodum Romano Pontifice, ne verbum quidem habetur. Et verò ſi quis diligenter attenderit, quo tunc loco res eſſent Conſtantinopoli & Romæ, intelliget certè Imperatorem, ad rogandum Pontificem, non facilè deſcenſurum fuiſſe. Cùm enim Romani Pontifices qui ad tuendam contra Longobardos Italiam, neceſſariâ cum eo Armorum ac conſiliorum ſocietate conjuncti erant, illi ſæpiùs inſtitiſſent, ut Imaginum cultum reſtitueret, Orbi-

Cent. 8. c. 9.

Digitized by Google

que Chriſtiano pacem ac tranquillitatem daret, prævidebat utique Conſtantinus, Eccleſiam Romanam, neque à ſuâ ſententiâ, nec à ſuis unquam ritibus diſceſſuram, miſſuramque Legatos ſapientiâ & eruditione conſpicuos, qui ejus in Concilio, molitiones & captiones omnes, ſuâ ſolertiâ ac ſagacitate diſcuterent, & ancipites Patrum animos ad concordiam revocarent.

XIII. Ut ut eſt de vocato ad Concilium Pontifice, conſtat quidem neque ipſum, neque Orientis Patriarchas, ullos miſiſſe Legatos, qui, ſuo nomine, Synodo intereſſent. Atqui ſummus error, & grave piaculum fuerit exiſtimare, quo tempore Eccleſiæ omnes ſacrorum ac fidei communione conjunctæ ſunt, Concilia eſſe legitima, quamquam abſque Romani Pontificis, perpetui eorum moderatoris, & Patriarcharum Orientalium, præcipuorum ſanè capitum, aſſenſu ac ſuffragio celebrentur. Quæ ratio, ſub tempora fere hujus Copronymiani Concilii, ita convincebat, ut Patres ſecundæ Synodi Nicænæ aliquantò poſt convocatæ, ex eo potiſſimùm capite, caſſum illud irritumque fuiſſe contenderent, quod neque Romanus Pontifex, neque Orientis Patri-

οὐκ ἔσχε σύνεργον τὸν τυνικαῦτα τῆς Ρωμαίων πάπαν ... ἀλλ' οὔτε συμφρωνοῦντας αὐτῇ, τοὺς Πατριάρκας τῆς ἕω Αλεξανδρείας, Αντιοχείας, δὲ τῆς

archæ ad illud celebrandum ullatenus conſenſiſſent. Contra verò Epiſcopi Orientis in ſuâ illâ ad Patres Nicænos Epiſtolâ fatentur, eos, juxta Eccleſiaſticos Canones, in legitimum atque Oecumenicum Concilium ritè congregatos, quòd ſanctiſſimum eorum, cætum tùm Romanus Pontifex, tùm Patriarchæ Orientis, Legatorum ſuorum præſentiâ honeſtarent.

Verùm quid de Copronymiano illo Concilio fiet, ſi meridianâ luce clariùs pateat, non modò illud poteſtate, ſed divini quoque Spiritûs illuſtratione ac præſidio, ad res fidei definiendas caruiſſe?

Sanctiſſimum illud eſt in noſtris & Adverſariorum ſcholis effatum, Deum Optimum, Maximum non poſſe nos vel uno mendacio fallere; ſi enim mentiri illum vel in re unâ contingeret, jam non foret ejus ſermo certiſſima Religionis, noſtræque fidei regula. Quoties nobis aliquid ſignificaret, credendumque proponeret, veniret in mentem dubitare, an nos ſimili mendacio falleret, atque antea fefelliſſet. Quare cum cætus aliquis Eccleſiaſticus falſum quidpiam pronunciat, ille certè à divino Spiritu, qui nullius erroris Author & Doctor eſſe poteſt, nec regitur nec eruditur. Quod ſi

ἁγίας πόλεως

Concil. Nicen. 2. Act. 3. ἔξετε γὰρ αὐτοὺς ἐπισαμένους ἀκριϐῶς, τῶν τριῶν θρόνων Αποσολικῶν την ὁμονότικην τε καὶ σύμφρονον ορθοδοξείαν. *Act. 3* XIV.

decretum illud ſingulare à divino Spiritu dictatum ei non fuerit, jam reliquis ejus decretis fidem nullam poſſumus adhibere; quoniam perpetuus erit dubitandi locus, annon in aliis quoque dogmatibus erret, & in iis proponendis, divino Spiritu Præceptore & Doctore utatur?

Atqui ex ipſis hujus Copronymiani Concilii actis, quæ Centuriatores adducunt, planè intelligitur, multa in eo fuiſſe decreta, quæ in ſententiâ adverſariorum, manifeſtæ falſitatis; multa quæ Câtholicorum judicio, inſigni Hæreſis notâ laborant. Cultum abrogavit ſacrarum Imaginum, eámque ob cauſam, in ipſum ab Eccleſiâ Catholicâ conclamatur, & in numerum hæreſum, hoc ejus dogma conſcribitur. Rursùs, Deiparæ & Sanctorum cultum lege ſancivit, eorumque ad Deum preces adhibendas ſtatuit; quæ duo inter præcipua errorum capita ab adverſariis numerantur. Sic enim habetur Canone 15. *Si quis non confitetur Sanctam ſemper Virginem Mariam propriè & verè Deiparam ..... Et cum ſincerâ fide ejus interceſſiones non poſtulaverit, anathema ſit.* Et Canone 17. *Si quis non confitetur omnes Sanctos eſſe coram Deo, & horum interceſſiones non petierit; utpote qui liber-*

Apud Centur. Cent. 8. c. 9.

tatem habent apud Deum intervenire, anathema ſit.

Lutherani Centuriatores, qui hujus Concilii Canones in lucem publicam poſtliminio protulere, cùm intelligerent, ex iis aliquos, ſuis dogmatibus adverſari, litigantium eorum fraudem imitati ſunt, qui adverſorum inſtrumentorum vi atque authoritate convicti, falſa illa & adulterata eſſe contendunt. Ita ſiquidem hominibus iſtis; in eas rerum anguſtias, concluſis nihil opportunius viſum eſt, quàm ut duos illos Canones corruptos ſuppoſitoſque eſſe confidenter aſſererent. Verùm quis non videat Eccleſiam Romanam, quæ duos iſtos Canones confinxiſſet, ut Deiparæ & Sanctorum cultum tueretur, non majori negotio illos alios adulterare potuiſſe, ut ab omni notâ & Concilii animadverſione, cultum Imaginum vindicaret? Vero longè ſimilius eſt, Eccleſiam Catholicam, quæ probè noſſet hujuſmodi Concilium, juſſu ſchiſmatici Imperatoris, contra omnes Canonum formulas convocatum, omnia ejus decreta parui, nihilique feciſſe. XV.

In primis quidem hujus Concilii defenſoribus non veniat in mentem opinari, invectum à nobis decretum illud, quo

ſtatuitur non adorandam aliam Chriſti, quàm illam corporis ejus Imaginem, quæ nobis in Euchariſtiâ exhibetur: *Exultent quicumque veram Chriſti Imaginem ſinceriſſimâ mente deſiderant & venerantur, quam ipſe Dominus noſter circa paſsionis tempus, in typum & recordationem efficacisſimam ſuis Sacerdotibus tradidit.* Cupidiſſimè ſane Anticatholici decretum illud excipient, quod eorum ſententiæ adeó conſentaneum videatur.

Apud Centur. Cent. 8. c. 9.

Verùm quâ ratione efficient, nihil eo loco contra ipſos à Concilio pronunciatum, homines ſcilicet in cauſâ cultûs Religioſi adeò verecundos & parcos, ut Imaginibus reverentiam adhibere non auſint, ne honor Deo uni debitus rebus creatis tribuatur. Ex illis enim ſciſcitari velim, quámobrem Concilium aſſerat nefas eſſe aliam, quám oblatam in Euchariſtiâ Chriſti Imaginem adorare? Vel enim exiſtimat Typis illis aſpectabilibus, hoc eſt ſpeciebus Euchariſticis, ipſum Chriſti corpus contineri; vel merum ineſſe panem, quem Chriſti imaginem & typum appellet? Si Chriſtum ipſum adeſſe fateatur; en Chriſti præſentiam, Concilii authoritate ac teſtimonio ſtabilitam. Si velit merum panem apponi, quo velut typo atque imagine

Chriſtus

Chriſtus ipſe Dominus adumbretur, en adorationem Chriſti Imaginum ejuſdem Concilii decreto ritè ſancitam. Si enim licet panem Euchariſticum quia Chriſti Imago eſt, cur alias quoque ejus Imagines abſque Idololatriæ periculo non liceat venerari? Quamcumque igitur Anticatholici conditionem accipiant, fateantur neceſſe eſt ſuam iſtam Copronymi Synodum erraviſſe, adeòque rejiciendam illam ejuſque decreta omnia pro nihilo planè ducenda.

At in Synodum Nicænam omnibus videlicet Oecumenici & legitimi Concilii notis inſignem eadem reprehenſio. minimè cadit. Ritè convocata illa fuit aſſentientibus Orientis Patriarchis, ejuſque Pontificis Imperio, quem eo tempore Græci, Latinique, velut Eccleſiæ Chriſtianæ caput ac principem reverebantur. Liberum omnino Patribus judicium fuit; contra quàm Conſtantinopoli contigit, ubi Imperator Prætorianis ſtipatus militibus Concilio præfuit, primamque actionem exorſus eſt, abdicato veteri, novòque in ejus locum Patriarchâ ſubrogato. Ejus dogmata nullo ex capite pugnare inter ſe videntur, & ab omnibus illis, qui cum eâ ſacrorum Communione conjuncti ſunt, XVI. 2. Conc. Nicæn. legitimum.

ad unum omnia rata ſanctâque habentur. Demum ejus ſententia religioſiſſima eſt, nec ab antiquâ Patrum fide & inſtituto, vel minimùm quidem aberrat. Quod autem objicitur eundem ab illâ Latriæ cultum, qui ſummæ Trinitati exhibetur, Imaginibus adjudicatum; calumniam ſuprá diluimus in ſecundâ diſſertatione, in quâ abundè probatum eſt *τιμητικὺν προσκύνισιν, ουμὺν τὴν ἀλιθινὺν λατρέιαν*, honorariam adorationem, non veram Latriam illis, ſapientiſſimam Synodum tribuiſſe.

τιμητικὺν προσκύνυσιν ουμὺν τὴν κατὰ πιςὶν ημῶν, τὴν αλιθηνὺν λατρέιαν ἡ πρέπει μόνη τη θεία φύσει. *Sept. Syn. Act.* 7.

Age verò, inquiunt, fac Synodum Copronimianam vitioſam & adulterinam; Nicænam verò probam & legitimam fuiſſe: at quid tandem fiet Francofordienſi trecentorum Epiſcóporum Concilio, authoritate Adriani Romani Pontificis convocato, in quo poſterior illa Nicæna Synodus rejecta eſt, cultuſque Imaginum denuò abrogatus? atque ille ſcopulus eſt, ſi adverſarios audiamus, ad quem alliſus afflictuſque Imaginum cultus naufragium facturus eſt; verùm ſi ad ea quæ dicturi ſumus, tantiſper attenderint, intelligent utique omni eum periculo ereptum, in portu, facili negotio, collocandum.

Conc. Francof. nō damnavit cultum Imag.

Conſtat in primis Francofordienſe Concilium ad diſceptandam cauſam Toletani & Urgelitani Epiſcoporum, rogante Carolo Magno, Authore verò Adriano Romano Pontifiçe congregatum, eorumque Præſulum Hæreſim uno Patrum omnium conſenſu, fuiſſe convictam atque damnatam. Conſtat inſuper Adrianum acta nuperi Concilii Nicæni cum Synodo communicanda, ſuis Legatis tradidiſſe. In eo itaque uno controverſia vertitur, an contra Nicæni Concilii ſententiam fuerit aliquid definitum. Damnatum illud, prohibitumque cultum Imaginum Anticatholici contendunt, Catholici pernegant graviſſimis rationum momentis adducti. XVII.

Adrianus Pont. probavit Synod. Nycæn.

Fatentur ſiquidem adverſarii, quo tempore Adrianus Pontifex acta Synodi Nicænæ ſuis Legatis tradidit ad Francofordienſe Concilium perferenda, jam illum eam Synodum, quam per ſuos Vicarios rexerat, ratam habuiſſe, cultumque Imaginum approbaſſe. Teſtatur idipſum ejuſdem Pontificis Epiſtola ad Regem poſtmodùm ſcripta, in quâ propoſita ab ipſo, ſive ſuo, ſive Concilii nomine, & in capitulare relata contra Imagines argumenta, dubiáque diſſolvit. Cùm ita-

Deindè offeruntur Acta Synodi Nicænæ ſecundæ quam Adrianus per ſuos Vicarios rexerat, poſtea etiam approbaverat. Centur. 8. c. 9

Epiſt. Adri. ad Car.

que Adrianus Pontifex Nicænorum decretorum acerrimus vindex, & fautor exiſteret, quis credat voluiſſe Patres Francofordienſes ipſius judicio repugnare, præſentibus ejus Legatis, & Concilio Præſidentibus; adſtante item Carolo magno Eccleſiæ Romanæ cultore eximio, & Adriani Ponrificis maximè ſtudioſo? Probat arctiſſimam illam inter ipſos animorum conjunctionem, quòd Carolus Adriani inviſendi causâ, bis Romam Profectus ſit, mortuumque officiis ac lacrymis Proſecutus, per Galliam Angliamque univerſam, ad expiandas amici noxas, ſacrificia, ritu Catholico, preceſque decreverit. Et verò quis ſuſpicetur Carolum, Galloſque ab Adriano, propter Imagines, abalienatos; cùm ipſimet Hiſtorici Græci fateantur, Romanos Pontifices, eam unam ob cauſam, ad Galliæ Reges Imperium tranſtuliſſe, quòd Græcorum Imperatores ab Eccleſiâ Romanâ, de cultu Imaginum diſſentirent. Demum Francofordienſe Concilium à ſententiâ & conſuetudine Adriani Pontificis numquam diſceſſiſſe ex eo efficitur, quòd in Synodicâ ad Præſules Hiſpanos Epiſtolâ, hac ſolenni clauſulâ, ſua omnia decreta concludat; *Servato per omnia juris privilegio ſummi*

Conc. Franc. non receſſit à Communione, & ſententiâ Adriani Pont.

Egin. in vitâ Caro.

Ep. Car. ad Offam. apud Malſmeb.

Zonaras in vitâ Leonis & Irenes.

Conc. Francof. Lib. Sacroſyl.

Pontificis Domini & Patris noſtri Adriani ptimæ ſedis beatiſsimi Papæ.

Firmari poteſt hujuſmodi conjectura ſilentio *a* Authorum graviſſimorum qui de Synodo Francofordienſi, déque rebus in eâ geſtis ſcripſerunt accuratiſſimè, neque tamen de Concilio Nicæno damnato ullatenus meminere; Imò verò ejus ſententiam de cultu Imaginum receptam à Synodo, probatamque teſtantur. Non me latet ab aliquibus exiſtimatum Nicænam Synodum à Francofordienſi fuiſſe damnatam : *b*. Novi item nonnullos Galliarum Epiſcopos poſt tempora Concilii Francofordienſis, cultum Imaginum impugnaſſe. Verùm cùm ex modò dictis planè conſtet, Eccleſiam Romanam hujuſmodi cultum conſtantiſſimè retinuiſſe, Conciliúmque Francofordienſe, ipſúmque Carolum nunquam ſe ab ejus ſocietate disjunxiſſe, ex contrario aliquorum ſcriptorum teſtimonio id unum colligi poteſt, eo in cœtu fuiſſe nonnullos Præſules quibus Doctrina Nicænæ Synodi, ut Latinis in actis jacebat, minimè probaretur; Synodum tamen univerſam, nihil contra Adriani & Legatorum ſententiam ſtatuere auſam, hærentes animo ſcrupulos, dubiáque omnia in capitulare relata, ipſius Caro-

XVIII.

a Blond. l. 1. dec. 2. Sabell. l. 8. Ennead. 8. Plat. in vitâ Adr. Paulus Æmil. l. 2. hiſt. Franc.

b. Ionas Epiſc. Aurel. de cultu Imag. Hincma. contr. Epiſc. Laudun. c. 20. Ago. l. de Imag.

Conciliantur autores quiſcripſere de Conc. Franc.

Digitized by Google

li Conſilio & operâ ad Pontificem expendenda ac dijudicanda tranſmiſiſſe. Adriano autem in ſententiâ perſtante, ſcriptâque ad Carolum luculentâ Epiſtolâ, in quâ conjectas in Synodum Nicænam criminationes egregiè diluit, mutua illa ſummi Sacerdotis, Regiſque conſenſio litem demum omnem, ac controverſiam ſuſtulit, quamquam privatis nonnullis Galliarum Epiſcopis, hæc Nicæni Concilii ſententia non penitus arrideret.

XIX. Verùm cùm adverſarii accuſationis robur ac firmamentum, in ipſis Concilii verbis, potiúſquam in fide Hiſtoricorum collocare videantur, placet ad rei diſceptationem, ipſamet acta Concilii adhibere, ex quibus omninò intelligetur, nihil à Francofordienſi Synodo, contra Nicænam, conſtitutum. Secundi Canonis ab adverſariis producti verba ſunt hæc. *Allata in medium quæſtio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt; in quâ ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ut vivificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur; qui ſupra ſanctiſsimi Patres, omnimodis hujuſmodi adorationem, & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque*

Conc. Francof. Can. 2.

conſentientes condemnaverunt.

Primò quidem ob rationes ſuperiùs memoratas mihi perſuaſſiſimum eſt, hujuſmodi decretum in ore, oculiſque Legatorum nuſquam fuiſſe promulgatum, ſed unà cum aliis articulis, Regio capitulari contentis, Adriani Pontificis arbitrio judicioque permiſſum. Deindè, & ſi maximè fuerit promulgatum, aſſero Patres Francofordienſes nihil eo loci contra veram Concilii Nicæni ſententiam ſtatuiſſe: id unum videlicet damnarunt quod jacebat in actis ad ſe perlatis, *Sanctorum Imaginibus, ut Deificæ Trinitati ſervitium, & adorationem impendendam.* Atqui Concilium Nicænum nequaquam exiſtimavit hujuſmodi ſervitium & adorationem Sanctorum Imaginibus exhibendam: Patres igitur Francofordienſes nequaquam Concilii Nicæni dogma ſententiamque damnarunt. Rem ſolùmmodò rejecerunt occurrentem in actis ſibi oblatis, quæ Nicæni Concili decreta continere dicebantur. Ita opinati ſunt doctiſſimi Cardinales Perronius & Bellarminus, & Laudatiſſimus Petrus Marca Archiepiſcopus idem Pariſienſis & Toloſanus, majoris omnes ſapientiæ, quam ut vel ipſis adverſariis, ullam erroris aut frau-

Neque dãnavit Secun. Conc. Nic.

Bell. l. 2. de Imag. c. 14. Marca l. 2. de Conc. c. 17. §. 2.

Digitized by Google

dis præbeant ſuſpicionem.

XX. Objiciat fortaſſe non nemo credi vix poſſe, Patribus Fancofordienſibus ignoram fuiſſe veram Concilii Nicæni ſententiam ante ſex aut ſeptem annos celebrati, cujus acta habebant præ oculis, manibuſque verſabant. At non pervidiſſe illos veram Concili mentem ex eo efficitur, quòd ſingularem unius Epiſcopi, de more, ſuffragium ferentis opinionem, univerſæ Synodi decretum conſultumque crediderint; cùm auguſtiſſimi cætûs ſententiam diſcere debuiſſent ex fidei definitione, ſub finem actionis ſeptimæ, promulgatâ, in quâ ſtatuitur, τιμητικὴν προσκύνησιν, οὐ μὴν ἀληθινὴν λατρείαν, honorariam adorationem, non veram Latriam, Sanctorum Imaginibus exhibendam. Quæ ratio ita convincit, ut Adrianus Pontifex in ſuâ ad Carolum reſponſione id ipſum aſſerat, nempè debuiſſe Patres Fracofordienſes, Nicæni Concilii doctrinam, & mentem ex fidei definitione inveſtigare, non ex verbis privatorum Antiſtitum, qui ſuum, ut in liberis cætibus fieri ſolet, animi ſenſum ritè aperiebant, in eandem demum cum universâ Synodo ſententiā coëuntes, ejus decretis ſuâ ſubſcriptione firmatis.

Rursùm Patres Francofurtenſes Nicæ-

ni

ni Concilii mentem minimè aſſecutos illud etiam probat, quòd ne hujus quidem, quem tantopere exagitant, Antiſtitis ſententiam perſpectam haberent. Fuit is Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, ad cujus verba autor Librorum Carolinorum, Calvinus, aliique recentiores Jconomachi offenderunt, Sic enim illum loquentem inducunt. *Suſcipio & amplector honorabiliter ſanctas & venerabiles Imagines, & quæ ſecundum ſervitium adorationis, quæ ſubſtantiali & vivificæ Trinitati emitto.* Atqui hæc non ſunt Conſtantienſis illius Antiſtitis verba; ex quo patet Nicæni Concilii acta Francofurtum perlata, vel adulterata, vel perperam è Græco in Latinum converſa. Opus Carol, l. 3. c. 17. Calv. Inſt. l. c. 5. ſupra.

XXI. Acta Nicæna Patribus Francof oblata, malè in Lat. converſa.

Probat hoc verborum modò memoratorum obſcura & implicata conſtructio; expoſtulatio item Anaſtaſii Bibliothecarii qui cum, poſt annos centum, novam hujus Concilii interpretationem adornaret, primam iſtam ait vocibus adeò intricatis, ambiguiſque fuiſſe contextam, *ut quid in eâ editione intelligatur, aut vix aut nunquam poſſit adverti; in faſtidiumque verſa legentium, penè ab omnibus contemnatur.* Anaſt. Bibl. Præf. ad 8. Syn.

Demùm vitioſam eſſe hujuſmodi verſio-

nem non aliundè certiùs patebit quàm ſi locus ille de quo agitur cum Græco exemplari ſedulò conferatur. Etenim in Latinis Concilii actis, quibus Patres Francofurtenſes, & librorum Carolinorum autor uſi ſunt, Epiſcopo illi Cyprio impium ſanè dogma aſcribitur, in Græco verò exemplari, nihil viro probè Catholico alienum affirmat. Sic enim in Latinis illis actis loquentem inducunt. *Suſcipio & amplector ſanctas & venerabiles Imagines, & quæ ſecundum ſervitium adorationis quæ ſubſtantiali & vivificanti Trinitati emitto.* Sive *ſecundum ſervitium adorationis quod conſubſtantiali & vivificanti Trinitati emitto.* At in Græcis exemplaribus ſic habetur, *recipiens & honorificè amplectens ſanctas & venerandas Imagines: adorationem autem ſecundum Latriam,* μόνη τῆ ὑπερυσίω τριάδι ἀναπέμπω *ſoli ſuperſubſtantiali Trinitati emitto.* Atque eo niſi fundamento, vitioſâ nempe actorum Nicænorum verſione, Patres Francofurtenſes, autor Librorum Carolinorum, & nonnulli Galliarum Epiſcopi, Imperante Carolo Magno, ac Ludovico Pio, exiſtimarunt in Concilio Nicæno ſancitum, ut Sanctorum Imaginibus idem ac ſummæ Trinitati Latriæ cultus

Opus Carol. l. 3 c. 17.

δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας, καὶ τὴν κατὰ λατρείαν, προσκύνησιν, μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζοαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω. Sept. Syn. Act. 3.

exhiberetur. De facto hic ſolùm agebatur quod illi, in fide interpretis, certum exiſtimarunt, Nicænam videlicet Synodum, quod in hac Latinâ editione illi tribuebatur, reverá ſenſiſſe. Rem ita eſſe cenſuere; de eâ nihil affimarunt, cum Græco exemplari carerent, ad cujus fidem Latinæ hujus editionis veritatem exigerent.

At recentiores Lutherani & Calviniani, qui eandem calumniam cupidiùs excepere, culpâ certè non vacant; cùm vulgarem editionem vitiosâ illa emendatiorem, & Anaſtaſii verſionem, & Græca ipſa actorum exemplaria in manibus haberent. Ex quibus ſanè locupletiſſimis monumentis, ſi conceptam jam animo opinionem exuere voluiſſent, intelligere fas erat, Nicænam Synodum in fidei definitione, non aliam Sanctorum Imaginibus, quàm honorariam adorationem adjudicaſſe; Cypriumque illum Antiſtitem, honorem ipſis quidem, at Latriæ cultum uni ſummæ Trinitati deferendum cenſuiſſe. XXII.

Benè habet, inquies, verùm ſi ex fidei definitione conſtabat, Probam ac Catholicam fuiſſe Synodi Nicænæ ſententiam, Cyprii quoque illius Antiſtitis verba, interpretis vitio adulterata, quidni Adrianus Pontifex ejuſque Legati Patres

Francofurtenſes de erroris periculo præmonebant ? Adrianum certè Pontificem veram Synodi Nicænæ ſententiam ex fidei definitione collegiſſe, Cyprii verò Antiſtitis verba tùm ut obſcura ambiguaque, tùm ut ſingularem privati hominis opinationem pro nihilo habuiſſe, ex eo patet, quòd in ſuâ ad capitulare reſponſione, de quâ ſuprà memoravimus, diſertè aſſerat, debuiſſe Patres Francofordienſes Synodi mentem, ex fidei decreto in ultimâ actione condito, non ex verbis unius alicujus Antiſtitis explorare. Patres autem præmonendos haud cenſuit ſpectandam eſſe Synodi Nicænæ ſententiam ex fidei definitione, quòd res per ſe ipſa loqueretur, neque in re tam planâ apertâque, monitore egere viri ſapientiſſimi viderentur. Legatos verò reclamaſſe, at minimè auditos verò ſimile eſt, ob acceptum ex Libris Carolinis præjudicium adverſus Synodum Nicænam, quæ Conſtantini Epiſcopi, Latriæ cultum, ut videbatur, Imaginibus tribuentis ſententiam non emendaſſet. Niſi veriùs dixeris Legatos ſuâ interceſſione ſuiſque monitis effeciſſe, ut Patres, quod jam probavimus, oborta contra Nicænam Synodum dubia in capitulare relata, & ad ſummum Pontifi,

cem tranſmiſſa ejus arbitrio judicioque permitterent. Itaque ex certâ ratione, Hiſtoricorum teſtimonio, ipſiuſque Concilii Francofordienſis actis ratum fixumque ſit, ab eo Synodum Nicænam minimè fuiſſe damnatam, tùm quod veram ejus ſententiam vitioſis in actis internoſcere non poſſet, tùm quod animadveſiones ſuas omnes Adriani Pontificis cognitioni judicioque ſubjecerit.

Ut ut eſt de recepto aut repudiato à Patribus Francofurtenſibus Imaginum cultu, ex iis, inquies, quæ hactenus diſputata ſunt, illud ſaltem efficitur, licitum illis Nicænæ Synodi decreta ad examen revocare; *adeóque olim licuiſſe cujuſlibet Synodi à Romano Pontifice confirmatæ definitiones, ad ſacræ Scripturæ, & traditionis, veteris Eccleſiæ, normam expendere.* XXIII In diſſert. de Concil. defin. ad examen revoc. an. 1679.

Sanè qui hæc objicit veluti certum fixumque ſtatuit illud ipſum quod in controverſiam vocatur. Siquidem Adrianum Pontificem Legatorum operâ Nicænam Synodum rexiſſe, eamque tunc recepiſſe cum ejus acta ad Francofordienſe Concilium miſit, Heterodoxi Catholicique conſentiunt; verùm ejus decreta ſolenni jam ritu confirmaſſe, & in Chriſtia-

nis Eccleſiiis promulganda curaſſe, nullo ſanè teſtimonio, nulla ratione convincitur. Falſum igitur, *olim licuiſſe cujuſlibet Synodi, etiam à Romano Pontifice confirmatæ, difinitiones ad examen revocare.*

Deindè concilium Francofordienſe jus examinandi & emendandi Nicæna decreta nequaquam ſibi vindicavit, ſed obſcuriora ſolùm loca, & ſuborta Patribus dubia, ut ſæpiùs diximus, Adriani Pontificis examini atque interpretationi ſubjecit. Etenim perpetuus mos ille fuit, Conciliorum Oecumenicorum, ut locorum obſcuriorum, & dubiorum quæ ſuis in decretis occurrerent, interpretationem
ſ. 25. c. 2. Pontifici Romano permitterent. *Quod ſi aliqua difficultas oriatur*, inquit Concilium Tridentinum, *aut aliqua inciderent quæ declarationem aut definitionem poſtulent, confidit ſancta Synodus, Beatiſsimum Romanum Pontificem curaturum.... ut Provinciarum neceſsitatibus, pro Dei gloriâ, & Eccleſiæ tranquillitate, conſulatur.* Hunc certè morem non induxit Tridentinum Concilium, ſed à Majoribus acceptum religioſiſſimè tenuit. Cùm itaque Romanus Pontifex id juris ac muneris haberet, ut difficultates & dubia quæ in decretis Nicænis occurrerent, interpreta-

retur, ac ſolveret; licuit certè Patribus Francofurtenſibus Adrianum Pontificem conſulere, & quæ ſcrupulum ac Religionem moverent, in capitulare relata ingenuè & confidenter exponere. Hæc de Conciliorum autoritate ex occaſione dicta ſint, nunc ad cultum religioſum, unde nos adverſariorum argutiæ abſtraxere, calamum revocemus.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUINTA.

De Cultu Reliquiarum.

I. QUANTUMVIS licet Anticatholici à moribus noſtris abhorreant, nobis certè iraſci non auſint, quod Reliquias hominum ſanctitate præſtantium, & ſacras Martyrum exuvias honore quodam, atque officio proſequamur. Studium ſcilicet, affectumque omnium gentium animis inditum, eorum mentibus natura parens, vel potiùs ipſe Deus impreſſit. Atqui communis eſt populorum omnium ſenſus, mortuorum memoriæ atque cineribus reverentiam deberi, eorum præſertim, quos ſingularis virtus ad ſuperos extulit. Gentibus perinde immanitate barbaris, & humanitate politis, potiſſimùm curæ fuit eos ſepulchro atque exequiis decorare; & grave ubique terrarum piaculum viſum fuit, ſi quis eorum tumulos violaſſet.

Atque

Digitized by Google

Atque ut eum ipſum Scripturæ locum, quem adverſarii nobis opponunt, in ipſos opportunè convertam, Judæi ipſi ab omni Idololatriæ ſuſpicione, præſertim Chriſti temporibus, remoti, hanc reliquarum gentium erga mortuos reverentiam imitabantur. Etenim, Chriſto ipſo teſte, *ædificabant ſepulchra Prophetarum, & ornabant monumenta juſtorum.* Cùm autem eâ occaſione in eos Chriſtus invehitur, non certè factum, ſed intentionem, ſive conſilium reprehendit; hoc eſt non reprehendit illos, quòd Prophetarum ſepulchra maximis ſumptibus exornarent, ſed quòd eâ mente eoque conſilio illa extruerent, ut viderentur Patrum hypocriſim & ſimulatum cruentumque zelum improbare, cùm reverà ipſi eorum hypocriſis, & pravi zeli vitio laborarent. Quæ ſanè Chriſti verborum interpretatio ex eo ſuadetur, quòd Chriſtus Judæorum illorum Hypocriſim, non ſuperſtitionem accuſet. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Phariſæi Hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Vel,

Ædificatis ſepulchra Prophetarum & ornatis monumenta Iuſtorum...

Filii eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Mat. 23.

ut ait Lucas, *profectò teſtificamini, quòd conſentitis operibus Patrum veſtrorum.* Ex quibus patet Scribas illos & Phariſæos, ejuſdem, ac majores eorum, criminis reos eſſe. Atenim qui Prophetas olim occiderunt, nec Idololatriæ, nec ſuperſtionis rei prorſus extitere: Ergo neque Scribæ illi, qui condendis Prophetarum cineribus tumulos extruebant.

Luc. c. 11.

Moyſes quoque nominatiſſimus ille ejuſdem Hebræi populi Legiſlator, idemque Idololatriæ oſor acerrimus, Ægypto digrediens Joſephi Patriarchæ oſſa, triumphali penè vehiculo extulit. Ipſéque Joſeph eadem antea Patris funeri juſta perſolverat, cùm ejus cineres Regio apparatu in Cananæam Regionem advexit. *Habuit* enim *in comitatu currus & equites, portantes eum in terram Chanaam.*

Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum. Ex. 13. v. 19.

Gen. 59. 9.

II. Occurrent opinor, adverſarii, reponentque non grave utique fore piaculum, ſi Martyrum Reliquias eo ſolùm honoris ſenſu proſequeremur, quo ſolemus mortuorum, virorum præſertim illuſtrium, cineres revereri. Verùm Eccleſia Romana, triplici ex capite, Idololatriæ vocatur in crimen; quòd Reliquiis Sanctorum cultum Religioſum exhibeat; vim illis beneficam ac ſalutarem tribuat; caſ-

Proteſtãtes ex triplici capite damnant Eccl. Rom. ob cultũ Reliqui.

Digitized by Google

que tanto tamque vario cæremoriarum apparatu veneretur. Ea ferè ſunt capita, ex quibus hujuſmodi cultui invidia odiumque conflatur.

In primis, quod ſpectat ad Religioſi cultûs appellationem, difficultas ſanè omnis ac dubitatio concidit ex principiis in diſſertatione tertiâ ſuperiùs conſtitutis. Si enim Religioſi cultûs nomine, juxta vim ac primariam vocis notionem, intelligatur virtutis opus à Religione elicitum, proximéque productum; ſanctiſſimè conteſtamur hujuſmodi cultum à nobis, neque Martyribus, neque eorum Reliquiis impertiri. Si verò vox illa ulteriùs, opera etiam à Religione imperata complectatur, contendimus ſanè fas eſſe, Religioſum cultum tùm Sanctis, tùm eorum Reliquiis exhibere. Fatemur Religioni, Dei ſanè cultum propoſitum eſſe; at tractari ab illâ & promoveri, vel ſuis ipſius, vel aliarum virtutum operibus abs ſe imperatis; operibus, inquam, quæ vel rectá proximéque feruntur ad Deum, vel ad illum denique referuntur. Atqui ſi cauſæ illæ accuratiùs attendantur, ob quas Sanctorum Reliquiæ à Catholicis coluntur, nemo negaverit hujuſmodi cultum ad Deum omninò referri. Ideò enim

Reſp. ad primũ caput.

Supra. Diſſ. 3. Num. IV.

Quo ſenſu cultus Reliquiarum dicatur Religioſus: unde ſumitur ratio à priori cur laudabilis & legitimus ſit.

oſſa Martyrum veneramur, vel quia, ut ait S. Thomas, *eorum corpora fuerunt templa & organa Spiritus ſancti in eis habitantis.* Vel quia, ut addit Auguſtinus, *illis tanquam vaſis & organis ad omnia bona opera, Spiritus ſanctus uſus eſt.* Hoc eſt, Divini Spiritûs aflatu impulſuque, corporibus ſuis, velut inſtrumentis, Martyres uſi ſunt ad Dei gloriam promovendam, ejuſque cauſam adverſus Religionis hoſtes patientiâ fuſoque ſanguine propugnandam: Vel quia gladii & vulnera corporibus illis excepta, ea Chriſto conſecravere: Vel quia terrenâ omni labe exuta, beato olim ac ſempiterno in cœlis, ævo fruitura ſunt. Utrumque his verbis Ambroſius complexus eſt. *Honoro corpus, quod Chriſtum honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cælo.* Quæro igitur annon ad Deum, Chriſtumque Dominum referatur honor, qui eo intuitu, eaſque ob cauſas, Sanctorum corporibus exhibetur, vel quia templa fuere Spiritûs ſancti, divinæque gloriæ inſtrumenta aptiſſima; vel quia Chriſto ſunt ſacra, & cum eo demum in Cœleſtium Concilio regnatura?

S. Th. 3. p. q. 25. a. 6.

Aug. l. 1. de civit. c. 13.

Ambr. ſerm. 93. de SS. Naz. & Celſo.

III. Placet huc quoque revocare argumentationem de cultu Sanctorum, & Imaginum ſuperius inſtitutam. Obſervātia quam

erga Sanctos velut Dei amicos, ejuſque Prophetas adhibemus, à Religione oritur, & certiſſimè refertur ad Deum, qui acceptam illam habet, & ſimul amplâ mercede remunerat. Atqui Apoſtolorum Martyrumque oſſa eo ſolùm nomine reveremur, quod ex iis tanquam ex partibus, Dei illi amici ac Prophetæ compacti fuerint, eorumque corpus conſors ac particeps laborum & cruciatuum, quos fortes illæ animæ, Chriſti causâ, tolerarunt.

Denique cùm ex ſuperiùs dictis perſpicuum ſit, cultum Imaginum Sanctorum legitimum ac religioſum eſſe, nemo negaverit, ſimilem cultum eorum Reliquiis tribuendum, quibus ex majori cum ſanctiſſimis mentibus ſocietate, & conjunctione, vis quoque major ac virtus adhæſit.

Benè habet, inquiunt; Atenim eam omninò ob cauſam majus, in Reliquiarum quàm in Sanctorum cultu, ſubeſſe videtur ſuperſtitionis erroriſque periculum. Synodus enim Tridentina, quæ docet, *nullam ineſſe Imaginibus Divinitatem, vel virtutem, propter quam ſint colendæ; aſſerit veneranda eſſe Martyrum aliorumque cum Chriſto regnantium ſancta corpora, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur.*

ſſ. 25. de Inv. SS.

Reſp. ad ſec. caput obj. An virtus aliqua ſit admittenda in Reliquiis, Et quomodo?

Expreſſa ſunt hæc quidem Concilii verba. Atenim quis æquus rerum æſtimator illis vocibus offendatur? Nonne certiſſimo Scripturæ ſacræ teſtimonio conſtat *Elizæi oſſa prophetaſſe*, hoc eſt mortuum Prophetam, quæ vivus ſolebat, miracula edidiſſe, & conſepulto cadaveri vitalem aliquando ſpiritum afflaviſſe?

I V. Mortuũ prophetavit corpus ejus Eccl. 48. v. 14.

Projecerunt cadaver in Sepulchrum Elizæi, quod cùm tetigiſſet oſſa Elizæi, revixit. 4. Reg. 13. v. 21.

Ex adverſariis certè percontari juvat, quâ tandem ratione, homo ille ad contactum Reliquiarum Prophetæ ſanctiſſimi, fuerit à mortuis excitatus? Reſpondeant neceſſe eſt Deum Optimum, Maximum, virtutem miraculorum effectricem iis oſſibus diffudiſſe: aut ipſum per ſe, ad commendandam Prophetæ ſanctitatem, ad conſpectum, contactumque ejus corporis, hujuſmodi miraculum effeciſſe. Ita pariter cum Tridentinum Concilium ait, *per Martyrum, aliorumque in cælo regnantium corpora, multa beneficia à Deo hominibus præſtari*, id modò voluit, Deum iſtis Sanctorum Reliquiis virtutem beneficam, ac ſalutarem tribuiſſe, cujuſmodi olim plurima è Chriſti corpore, ad ſananda omnia morborum genera, effluebat: Vel, quod ego quidem veroſimilius exiſtimaverim, Deum ipſum ad illuſtrandam Sanctorum laudem atque memoriam, admotis

contactiſque ſacris eorum exuviis, ægrorum per ſe calamitates morboſque depellere. Quâ ratione fit, ut Deus unus ſalutis omnis, vitæ, & incolumitatis autor ſit; Sanctorum verò Reliquias & Imagines ſive ut inſtrumenta, ſive ut ſigna, ad mirabilem rerum illarum effectionem adhibeat. Ut ut eſt, admittenda eſt ſanè tùm ſententia, tùm locutio Concilii Tridentini, dicendumque, cùm Deus olim inſigne miraculum, admotis unius Prophetæ oſſibus, patrare voluerit; poſſe illum admotis unius Apoſtoli aut Martyris oſſibus, idem quoque præſtare. Dicendum, inquam, quòd cùm, abſque ullo Idololatriæ periculo, affirmare liceat Deum admotis Eliſæi Reliquiis, mortuos ad vitam excitaſſe, magnáque hominibus beneficia contuliſſe, fas etiam fuerit Concilio Tridentino, abſque ullo Idololatriæ periculo aſſerere, Deum, admotis contactiſque Petri aut Pauli Reliquiis, vitam mortuis, ægris ſalutem, aliáque mortalibus beneficia impertire.

V. Virtus & uſus Reliquiarum probatur 1. autor. Scr. & exemplis in eâ propoſitis.

Et verò quid prohibeat Deum, hac ætate noſtrâ, eadem miracula patrare, quæ primis Eccleſiæ temporibus ab eo edita nemo Chriſtianus diffitetur? Legantur acta Apoſtolorum, ex quibus planè intelliga-

Digitized by Google

tur Deum, in gratiam Pauli, res adeò mirabiles effeciſſe, *ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus, ſudaria, & ſemicinctia; & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.*

Act. 19. v. 12.

Hæc certè uim beneficam, uſumque Reliquiarum luculentiſſimè probant. Ex eo enim Scripturæ loco omninò conficitur, reculis iſtis, quæ vel Paulo uſui fuerant, vel ejus corpori admotæ, Deum Opti- Maxi. quod de Reliquiis Concilium aſſerit, *magna hominibus beneficia præſtitiſſe.*

Et verò morem illum naſcentis Eccleſiæ nemo ſanè reprehendat, niſi Idololatriæ ac ſuperſtitionis reos exiſtimet viros ſanctiſſimos, qui priſcis illis temporibus, primigeniam Evangelicæ legis integritatem caſtiſſimè retinebant? Niſi Paulum ejuſdem ſceleris conſcium dicat, qui hæc videret, intelligeret, nec tamen nimiam iſtam Chriſtianorum erga ſe obſervantiam coërceret? Niſi demum Deum ipſum accuſet, qui hanc hominum illorum pietatem, atque fiduciam pluribus miraculis comprobaret? Cùm itaque fas olim fuerit abſque ullo Idololatriæ ac ſuperſtitionis periculo, hæc erga Paulum, ejuſque veſtes factitare, quidni liceat nobis eaſdem Apoſtoli exuvias etiam nunc

nunc ſuperſtites eoſdem in uſus adhibere, atque aſſerere cum Concilio Tridentino, *per eas multa beneficia à Deo hominibus præſtari?* Conc. Trid. ſupra.

Atque ut adverſarios, quod Chriſtus aïebat, *ſuo ex ore judicemus*, quâ fronte nobis ob cultum Reliquiarum violatæ Religionis actionem intendunt, ſi meminerint principia ſuperiùs abs ſe adducta „& ſtabilita; *in materia videlicet cultûs* „ *religioſi nihil admittendum eſſe, quod* „ *non Scripturæ teſtimonio aut majorum* „ *exemplo nitatur?* Bene habet omninò: Atenim in uſu, cultuque Reliquiarum, primorum Chriſtianorum exemplo ducimur, ipſius Scripturæ monumentis, & Apoſtolorum actis certiſſimè conſignato. Et ſanè Cùm Pauli veſtes & indumenta, eo adhuc vitam agente, in regiones ab illo remotas aſportata, tanto locorum intervallo vim hujuſmodi beneficam retinerent; quis dicat, eo jam mortuo, has viri ſanctiſſimi exuvias, longo videlicet temporum intervallo vim illam omnem amiſiſſe? *Quaſi verò dextera Domini..., qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis*, non poſſit virtutem ac robur ſuum ut locis, ſic temporibus remotiſſimis propagare? Prob. 2. ex principiis adverſar.

Rem juvat ulteriùs atque enucleatiùs VI.

Digitized by Google

Prob. 3. à poſter. ex effectis ſeu miraculis per Sanctorũ Reliquias à Deo patratis.

indagare, expoſitis iis miraculis, quæ in gratiam Sanctorum, admotis eorum reliquiis, conſtat non ſemel à Deo fuiſſe patrata.

In Eccleſiâ ſanè Chriſtianâ maxima graviſſimaque habetur ſanctorum Patrum authoritas, quos ipſi Anticatholici peritiſſimos divini verbi interpretes & acerrimos Religionis defenſores appellant. Atqui eorum plerique iique clariſſimi diſertè aſſerunt, ætate ſuâ, Deum Optimum, Maximum per Reliquias & corpora Martyrum, multa hominibus beneficia contuliſſe, plebique Chriſtianæ in more poſitum ut eas coleret, ad hujuſmodi beneficia, ob Sanctorum memoriam, à Deo faciliùs impetranda. Hieronymus integrâ adversùs vigilantium diſſertatione, hunc Reliquiarum cultum ab hominis nequiſſimi calumniis vindicavit. Ambroſius ſcripſit Epiſtolas, & luculentas habuit conciones, ad prædicanda miracula in gratiam Sanctorum Gervaſii & Protaſii à Deo edita, quo tempore ſacra illorum oſſa Mediolani devinitùs abs ſe inventa, maximâ totius Urbis celebritate, in Baſilicam à ſe conditam deferrentur. Auguſtinus qui tunc Mediolani præſens aderat, ait etiam ſe tantæ Martyrum gloriæ teſtem fuiſſe

Hieron. l. contra Vigil. Ep. 53. ad Rip.

Ambroſ. ſerm. 91. Ep. 85. ad ſoror.

Tantæ gloriæ Martyrũ etiam ego teſtis fui, miracula novi Aug. Confeſſ. l. 9. c. 7.

oculatum. Atque illa quidem Mediolanenſia miracula breviter ex occaſione perſtrinxit: Sed præcipuam ac ſingularem operam poſuit in recenſendis miraculis aliis, ad Reliquias protomartyris Stephani factis, quæ libro vigeſimo ſecundo de civitate Dei, eâ curâ eâque fide perſecutus eſt, ut, ſi dubia cuipiam videantur, næ ille continuò res omnes alias, quas ſcripſit ſanctiſſimus Doctor, debeat in dubium revocare. Lib. 22. de Civit. c. 8. Serm. 39 de diverſis.

VII. Equidem graviſſimum illud Sanctorum Patrum teſtimonium Agiomachos recentiores in ſummas conjecit anguſtias. Lutherani enim Centuriatores tam illuſtri autoritate oppreſſi, id unum reſpondent, Hieronymum in Vigilantium acerbiùs invectum: nonnulla olim per Sanctorum Reliquias edita miracula, ſi fides Ambroſio habeatur: Demum Auguſtini temporibus ſuperſtitioſo populorum concurſu Reliquias fuiſſe celebratas. Cent. 4. c. 6.

Itaque Patrum illorum teſtimonio coacti fatentur, quarto jam ſæculo, Martyrum reliquiis cultum adhibitum, at ſuperſtiosũ illum & popularem, fictiſque miraculis ſtabilitum fuiſſe contendunt. Cujus profectò reſponſionis levitatem nemo non videt. Etenim cultum, quem plebeïum

Digitized by Google

etiam, qui his temporibus vixere, ſcriptis & ſermonibus celebratum. At dùm Centuriatores plebem dumtaxat eo nomine; iſti, Patres ipſos viros graviſſimos, *quos Reliquiarios appellant*, inverecundè prorsùs inſectantur, vocabulo utique à Vigilantii diſciplinâ arrepto, qui Hieronymum alioſque Doctores Catholicos, qui mortuorũ hominum oſſa ac cineres venerarentur, *Cinerarios*, per ludibrium vocitabat. Quod convitium tolerabile forſan videatur in homine ejuſdem tunc atque Hieronymo, in Eccleſia ordinis; cum alter Parochiam unam Diœceſis Barcinonenſis, alter Bethlemiticam, in Diœceſi Hieroſolymitanâ, Eccleſiam adminiſtraret. Verùm cum hac noſtrâ ætate ſingularis Hieronymi virtus cum in Eccleſiâ Chriſtianâ, ad tantum ſanctitatis atque exiſtimationis gradum evexerit, ſummæ omnino dementiæ ac deſperationis fuerit, hominem eo dignitatis faſtigio conſtitutum, hujuſmodi dicteriis, & ſcurrili dicacitate perſtringere.

minum-oſſa veneramur. Hier. Ep. 53. ad Rip. Vigilantius Presbyter Hiſpaniæ, Barcinonenſis parochiæ Eccleſiã tenuit. Gennad. de ſcrip. Eccleſ. c. 35. Bethleẽ oppidum petii: Eccleſiã loci illius Hieronymus Presbyter regit. Nam Parochia eſt Epiſcopi, qui Hieroſolimam tenet. Sever. Sulp. Dial. 1. de virt. Monach. Orient. §. 4.

VIII. Stet ergo ipſorum adverſariorum confeſſione, Reliquiarum cultum ab Eccleſiæ Patribus, qui quarto ſæculo floruere, probatum & commendatum. Ex quo novam argumentationem conficere licet à

Patrum autoritate petitam, & quod palmare eſt, ipſorum adverſariorum principiis ſtabilitam. Cùm enim ſua adversùs Catholicos dogmata tuentur; antiquorum Patrum authoritatem & primorum Eccleſiæ ſæculorum fidem illis opponunt, contenduntque ea à puriſſimâ Chriſti, & Apoſtolorum diſciplinâ certiſſimè profluxiſſe. Rursùm cùm pro Religionis Chriſtianæ veritate contra Ethnicos Atheoſque propugnant, miracula certè adducunt primis Eccleſiæ temporibus edita, hominumque vitæ ſanctitate, ac judicii maturitate præſtantium, teſtimonio confirmata.

Prob. 4. cultus Reliq. autoritate SS. Patrum.

Atqui nos ad aſſerendum Reliquiarum cultum, eodem planè modò ratiocinamur. Dicimus enim ex conſenſu adverſariorum, hujuſmodi cultum, quarto jam Eccleſiæ ſæculo uſitatum, quando Chriſtiana diſciplina adhuc illibata integraque vigebat. Addimus celeberrimos hac ætate Græcæ & Latinæ Eccleſiæ Patres, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, Chriſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, ingentibus illum ſtudiis commendaſſe ac promoviſſe. Aſſerimus denique eundem cultum ab ipſo Deo Optimo Maximo, illuſtribus miraculis comprobatum, quæ ſanè in dubium revocari

non poſſint, niſi ſimul fides omnis humana concidat, & Eccleſia Chriſtiana tutiſſimo præſidio ſpolietur. Quod omninò contingere neceſſe eſt, ſi Patribus modò laudatis qui ea miracula referunt, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, quorum nomen ſyncerumque judicium ipſi adverſarii ſæpius appellant, fides & autoritas abrogetur.

Equidem cùm hæc Patrum authoritas tùm per ſe, tùm apud ipſos adverſarios graviſſima ſit, quâ fronte vitio nobis vertunt, quòd eâ permoti, traditos à viris ſanctiſſimis mores rituſque ſervemus? De re totâ ex communi ſenſu & ſapientum judicio ſtatuatur. Agebatur Eccleſiæ ſæculum decimum ſextum; Sanctiſque ſuarum Reliquiarum & Imaginum cultûs, ab annis mille ducentis, permanebat ſtabilis ac certa poſſeſſio. Exoritur eâ tempeſtate Calvinus, aliique ſectæ Miniſtri, unáque omnes ab Eccleſiæ Romanæ ſocietate ſecedunt; Reliquiarum cultum acerbè exagitant, Idololatriam & ſuperſtionem exclamant. Occurrimus nos, ac reſpondemus, audax facinus ac rem prorsùs inauditam, privatos ac nullius nominis Doctores, ritus, tot abhinc annis, in Eccleſiâ Chriſtianâ receptos voluiſſe convellere; novoſque homines orbi ignotos auſos

IX. Quanti debeat eſſe SS. Patrum authoritas, etiam judicio Adverſariorum.

conſuetudines abolere antiquitate ſacras, & diuturnâ jam poſſeſſione firmatas. Quod ſi quis fortè cavilletur antiquitatis vitio pravos uſus interdùm inductos, & poſteriorum temporum facilitate ſenſim corroboratos, id ipſum ille reſpondet quod eſt in controverſiâ, quodque nos accerrimè pernegamus, nempe pravos eſſe uſus, quos coluere Patres ac Doctores ſanctiſſimi, qui per annos mille ducentos, Chriſtianam Eccleſiam, præclarâ eruditione & ſingulari vitæ ſanctimoniâ illuſtrarunt.

Primum effugium adverſa. Præclud.

Quæ cum ita ſint, næ ille à Chriſtianæ prudentiæ normâ, & communi Religionis ſenſu aberret, qui diſcedat à ſententiâ graviſſimorum Patrum Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nicæni, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Paulini, ut Calvinum alioſque ſectæ Miniſtros audiat, homines nullâ re notiores, quàm illâ ſive ſtultitiâ, ſive audaciâ, quâ Eccleſiam, ipſumque cœlum petere viſi ſunt, & aperto Marte bellare cum Sanctis.

X. Alterum effugium Præclud.

Quod ſi rurſùs objiciant, magnam utique Eccleſiæ Patribus, qui cultum Reliquiarum commendant, at majorem Scripturæ, quæ hujuſmodi cultum prohibet, eſſe fidem habendam: cùm id, inquam, ita

ita objiciunt, illud ipſum, pro ſuo more, ut certum ſtatuunt, quod in controverſiâ verſatur. Quæritur enim an Reliquiarum cultui ſacra Scripturæ autoritas adverſetur? Aſſerunt illi, nos inficiamur. Quâ, amabo, ratione dirimenda lis eſt? Nēpe antiquos Eccleſiæ Patres judices arbitroſque deligimus, qui Reliquiarum cultũ legitimum, ac ſuperſtitionis purum, adeòque divinâ lege nequaquam prohibitum diſertè pronuntiant. Quis autem credat Calvinum & aſſeclas veram Scripturæ ſententiam meliùs aſſecutos, quàm Eccleſiæ Patres, perpetuos ac germanos Divini verbi interpretes? Quis credat Deum viris ſanctiſſimis occultaſſe Religionis myſteria, Luthero & Calvino indicaſſe? Quis credat homines ſapientiâ & ſanctitate præſtantes, divinæ gloriæ ſtudioſiſſimos, orationi maximè deditos, Chriſti ſolertiſſimos imitatores, à verâ Scripturæ & Religionis, quam profitebantur, intelligentiâ aberraſſe, rituſque prophanos ac ſuperſtitioſos coluiſſe? & quamquam ſiviſſet Deus errare illos, eorumque errorem ad poſteriora ſæcula propagari, cùm demum Chriſtianus orbis dedocendus foret, & ad meliorem diſciplinæ doctrinæque formam revocandus; quis credat voluiſſe Deum Calvi-

Vero ſimilius eſt Deũ indicaſſe myſteria Religionis viris ſanctis, quàm Calvino & Luthero.

num & ſocios, voluptarios homines, à priori, ferè omnes, vitæ cælibis inſtituto perfugas, præclari operis effectores adhibere, omiſſis clariſſimis Patribus, qui proximè ſuperioribus ſæculis vixere, Bernardo, Thoma Aquinate, Bonaventura, Carolo Borromæo, Ignatio, Xaverio, quorum alii egregiâ morum ſanctimoniâ, alii ſanctitate ſimul atque eruditione præſtabant? Equidem ut viri illi ſanctiſſimi patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum ſimilitudine, videntur omnino Chriſti ſpiritum ingeniumque aſſecuti, ita nemo dubitaverit, eos quoque, certam ejus doctrinæ intelligentiam aſſecutos. Verùm quoniam hæc Sanctorum Patrum commendatio me ſenſim extra metas Religioſi cultûs avexit, longiori diſputatione abſtineo, cùm ea, quæ hactenus dicta ſunt, abũdè ſufficiant, ad docendos homines partium affectu liberos, & veritatis ſtudioſos.

XI. Unum illud addo, cùm ex dictis perſpicuum ſit, rerum ſacrarum cultum ne leviſſimam quidem Idololatriæ ſpeciem præ ſe ferre, injuriâ ſanè, vexationis genus quoddam exiſtimari hortationes & monita, quibus Anticatholici ad Romanam Eccleſiam, quæ hujuſmodi cultum tuetur & fovet, nuperrimè alliciebantur.

Vexatio enim illa dicitur, quâ homines per vim, metumque injuſtè incuſſum, ad præſtandum aliquid, contra officii conſcientiam compelluntur. Atqui conſilium illud Anticatholicos ad Eccleſiam revocandi, injuſtum ſanè videri non debeat æquo rerum æſtimatori. Id enim molientibus ac ſatagentibus nihil aliud propoſitum eſt, quàm ut hominibus illis in veram Chriſti Eccleſiam aggregatis, integram præſtent animi ſecuritatem, ac beatitatem.

Verùm reclamantes audio adverſarios, mirantesſque nos illud aſſumere, quod ipſi minimè concedunt, Eccleſiam ſcilicet Romanam, veram eſſe Chriſti Eccleſiam, ac proindè non peccare contra officii conſcientiam illos, qui ſe ad ejus ſocietatem adjungunt. Id ego ſanè non aſſumo, ſed probo; aſſeroque ipſiſmet adverſariis, niſi rem diſſimulanter obtexerint, ſin minùs certum, at probabile videri, Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, & Catholicos, ſaltem dubio, imò æquo cum illis jure diſputare. Cùm enim vir maturi judicii, & partium liber affectu, utriuſque Religionis momenta perpenderit, ſin minùs ille Catholicorum rationibus omninò moveatur, exiſtimabit certè non eſſe illas adverſariorum rationibus inferiores; nec

Veritas Religionis Cathol. quæ viro Cathol. eſt certa, eſt primò probabilis Proteſtanti, deinde certa.

Digitized by Google

Proteſtantes feliciùs Catholicorum, quàm Catholicos Proteſtantium argumenta diſſolvere.

XII. prima Ratio, multitudo, & autoritas Doctorum. Equidem ſi de utrâque Religione ſtatuendum ſit ex teſtimonio Autorum, qui alterutri ſtuduerunt, nemo ſanè, niſi qui ultrò cæcutiat, inficiabitur Catholicos Proteſtantibus, & morum ſanctitate, & numero eſſe longè ſuperiores. Si enim illis, qui ab ortu Lutheri & Calvini, eorum dogmata oppugnarunt, annumerentur Græci & Latini ſuperiùs memorati, aliique qui à quarto ſæculo, per annos mille ducentos, Romanæ Eccleſiæ ritus, præſertim cultum Sanctorum & Reliquiarum commendarunt; conflabitur nubes teſtium, quæ Scriptorum Proteſtantium autoritati, numeroque prorſus officiet. Tot porrò tantorumque virorum teſtimonium, validiſſimis rationibus firmatum, Proteſtanti cuicumque à præjudiciis libero planè ſuadebit, Eccleſiæ Romanæ ſententiam contrariâ probabiliorem eſſe, aut certè æque probabilem; quod ſi æque probabilis videatur, veniat illicò in mentem ſubvereri ne fortè verior ſit. 2. Ratio Antiq. & poſſeſ. Ubi verò cæperit dubitare, utra ambarum Religionum alteri præſtet, nihil ab eo conſultiùs fieri poteſt, quàm ut notiſſimam

juris regulam ſequatur, *in dubio* ſcilicet *meliorem eſſe conditionem poſſidentis.* Atqui ipſimet adverſarii prolixè conſentiunt, quo tempore illi ſe à Romanâ Eccleſiâ ſejunxerunt, ejus ſententiam, toto jam orbe Chriſtiano, populorum fidem ac conſenſum obtinuiſſe. Ex eo certè antiquitatis ac poſſeſſionis jure, & æquali utriuſque ſententiæ probabilitate, effloreſcet certa illa prudenſque notitia, quæ Religionem amplectentibus præire debet, ac prælucere. L. in pari cauſà ff. de diverſ. Reg. juris.

XIII. Jam verò ex Gallis noſtratibus Anticatholicis percontari placet, quid cauſæ ſit, cur de Chriſtianiſſimo Principe eos ad Eccleſiam Catholicam revocante, acerbiùs conquerantur? Novit ille videlicet poſſe eos, tuta ſalváque officii ac fidei conſcientiâ, ad illam accedere; cùm inficiari nequaquam poſſint, quin Eccleſiæ Romanæ ſententia, ipſorummet judicio, æquè ſaltem ac Calviniana, probabilis videatur. Novit ſe filium eſſe Eccleſiæ primogenitum ac defenſorem, eoque nomine ſibi ſeduló elaborandum, ut ſubditos in ejus diſciplinâ ac fide contineat. Novit vindicem eſſe ſe Legum tùm civilium tùm Eccleſiaſticarum, quæ ſanciunt, à Chriſtianis Principibus, non alterius quàm

Digitized by Google

C. 23. cap. 4. l. privat. c. de hær. l. cunćti pop. c. de sūma Trinit.

Catholicæ Religionis poteſtatem faciendam; eamque eſſe Religionem Catholicam, quam à Petro acceptam Romani Pontifices moderantur. Quis credat Principem, qui ſubditorum non falſæ opinioni, ſed prudenti judicio & intelligentiæ conſulit; qui priſcam Majorum Religionem adverſùs privatorum hominum conatus & molitiones tuetur; qui autoritatem ſtudiaque ſua dirigit ad normam legum antiquarum, quæ tùm in ſuis, tùm in Proteſtantium regionibus uſitatæ ſunt; Quis, inquam, credat eum Principem à ſubditis iniqua expetere, & poteſtate ſuâ ad Religionis mutationem abuti? Omitto exemplum finitimarum Regionum, ubi Catholicis non minori pœnâ, quám Calvinianis in Galliâ, ſuos ritus colere prohibetur.

At grates Deo immortales qui eum nobis largitus eſt Principem, cujus animi gravitas & moderatio nec exemplo, nec ullâ injuriâ commovetur; neque incitatus ad Religionem amplificandam impetus ullis aut calumniis, aut querimoniis retardatur. Exiſtimet ille profectò in ſe aptiſſimè, cadere quod de Theodoſio Imperatore Leo Magnus Romanus Pontifex prædicabat. *Ineffabiles*, inquit, *Deo gra-*

Leo M. ep. 5. ad Theod.

tias ago, qui eo tempore, quo oboritura Hæreticorum ſcandala præſciebat, vos in imperii faſtigio collocavit, in quibus ad totius mundi ſalutem Regia potentia, & ſacerdotalis vigeret induſtria. Et verò ſingulari Dei munere conſilióque factum exiſtimo, ut nobis Rex ille imperet, qui pari animo ſtudióque, in Religionis ac Regni commoda, & dignitatem incumbat; qui eâdem manu graſſantem Hæreſim coërceat, quâ hoſtium in Galliæ fines irruentium impetum reprimit, ardoremque reſtinguit. *Siquidem*, ut aïebat idem Pontifex, *præter imperiales & publicas curas, piiſſimam ſolicitudinem Chriſtianæ Religionis habetis, ne ſcilicet in populo Dei, aut ſchiſmata, aut Hæreſes, aut ulla ſcandala convaleſcant.* Juſtus ſanè Ludovicus atque idoneus hæres nominis ac pietatis Ludovici ſancti, cujus primordia cùm incidiſſent in reliquias ſectæ unius à Patre & Avo afflictæ ac debilitatæ, eas ipſe ita delevit profligavitque, ut nullum, noſtro hoc ævo, preterquam in Hiſtoricorum monumentis, Albigenſium Hæreſis videatur extare veſtigium.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A

ACTIONES exteriores ſunt ex ſe indifferentes: per voluntatis affectum evadunt laudabiles aut vitioſæ, pag. 2. 3. n. II. p. 106. n. XXV.

Adoratio, ejus natura. p. 2. n. XI.

Adoratio interior. / Adoratio exterior. } p. 53. n. XXVIII.

Adoratio honoris. / Adoratio Latriæ. } p. 133. n. XXXXII.

Adoratio quæ Deo exhiberi debet, p. 4. n. III. p. 104. n. XXIV.

Adoratio quæ Chriſti humanitati exhiberi poteſt, p. 45. 46. n. XXXIII.

Adoratio quæ rebus creatis exhiberi poteſt, p. 105. n. III.

Vide Cultum. Imagines. Sanctos. Reliquias.

An in diſputationibus de cultu Sanctorum & Imaginum, vox adorationis uſurpari poſſit, p. 132. n. XLI. XLII.

An ab eâ voce abſtineri poſſit, p. 137. n. XLV. ad n. XLVIII.

S. *Athanaſius.*

Res apud Tyrum geſtæ in cauſâ Athanaſii, probant eo ſæculo, viguiſſe fidem de Chriſto in Euchariſtiâ præſente. p. 13. n. XII.

Ariani.

Proteſtantes Arma ſuppeditant Arianis, qui Chriſti divinitatem iiſdem rationibus oppugnabunt, quibus Proteſtantes Chriſti in Sacramento præſentiam oppugnant. p. 17. n. XIII.

Cur Ariani voce ὁμοιούσιος uſi ſint, p. 140. n. XLVII.

Crux.

C

Crux.

Quod genus honoris Cruci exhibeatur, p. 119. n. XXXII.
Quæ virtus in Cruce ſit admittenda? p. 130. n. XXXIX.
Quâ ratione fierent miracula ad Crucis contactum, & conſpectum, p. 126. n. XXXVII.
Quis ſit ſenſus verborum quibus Eccleſia Crucem compellat. p. 129. n. XXXIX.
Quomodò intelligendus S. Thomas cùm latriæ cultum Cruci tribuit. p. 114. a. n. XXIX. ad n. XXXII.

Cultus.

Variæ ſpecies cultus.

Cultus Religioſus.
Cultus Sacer.
Cultus civilis. } p. 149. n. III. p. 151. a. n. IV. ad XIII.
Cultus Religioſus ſtrictè dictus; hoc eſt immediatè productus à virtute Religionis vocatur latria, Deóq; ſoli exhiberi poteſt. p. 151. n. IV. & ſeq.
Cultus Sanctis, rebuſque ſacris exhibitus Religioſus vocari poteſt 1. quia imperatur à Religione. p. 151. à n. IV. 2. quia refertur ad Deum. p. 156. n. VII. VIII.
Probatur illud autoritate SS. Patrum & ratione. p. 159. n. IX. X. XI.
Cultus latriæ.
Cultus duliæ. } p. 104. n. XXIV. & ſeq.

Charentonia Synodus.

Quantùm juvet ad cauſam Eccleſiæ Catholicæ decretum hujus Synodi in quo ſtatuitur, dogma de reali Chriſti in Sacramento preſentiâ, nihil vitii nec veneni habere. p. 30. n. XXI. & XXII.
Explicatio hujus decreti à recentioribus Calvinianis propoſita rejicitur. p. 31. n. XXII.

Creaturæ.

Deus in rebus creatis omnibus adorari poteſt adoratione interiori. 55. n. XXXVIII.

Digitized by Google

Non poteſt tamen adoratione exteriori ubique adorari. p. 55. n. XXXVIII.
Ratio diſcriminis. p. 53. 54. n. XXXVIII. & XXXIX.

Concilia.
In quibus actum eſt de cultu Imaginum.

Concilium Conſtantinopol. ſub Copronymo. p. 228. n. x.
Ejus nullitas. p. 230. 241. à n. XI. ad XVI.
Concilium Nicænum ſecundum. p. 229. & 249. n. XVI.
Defenditur à notâ Idololatriæ contra Calv. p. 94. n. XVII. XVIII.
Concilium Francofurtenſe. p. 250. 251. à n. XVI. ad n. XXIII.
Non damnavit Concilium Nicænum. p. 255. n. XIX.
Non damnavit cultum Imag. p. 250. n. 16. & ſequent.
Concilium Tridentinum. p. 240.
Quæ conditiones requirantur, ut Concilium legitimum ſit, ejuſque decreta vim habeant. p. 230. & 244. 245. n. XIII.
An juſſit poſterioribus Conciliis examinandi definitiones ſuperioris alicujus Concilii jam à Romano Pontifice confirmati. p. 261. n. XXIII.

D

Dulia.
Cultus duliæ.

Ejus natura. p. 4. n. III.
Cultus Duliæ ſanctis exhibetur. ibid.
Cultus Duliæ interior non exhibetur Imaginibus Chriſti aut Sanctorum. p. 107. 108. n. XXVI.
Eccleſia Chriſtiana immutavit contraxitque ſignificationem vocis Duliæ. p. 104. n. XXIII.
V. Latriam.

E

Euchariſtia.

Realis Chriſti præſentia in Euchariſtiæ Sacramento probatur verbis Chriſti. à p. 8. n. VI. ad p. 28. n. XX.

Digitized by Google

Euchariſtiæ Myſterium eſt difficile quia non percipitur ſenſibus. p. 11. n. IX.

Non eſt tamen impoſſibile, quia neque includit contradictionem, neque ex eo ſequitur contradictio. p. 12. n. IX. p. XXVI. n. XVIII.

Poſitâ conceſſâque Chriſti in ſacramentò preſentiâ neceſſariò ſequitur eſſe adorandum. p. 27. 28. a. n. XX. ad XXIV.

Reſpondetur triplici rationi quâ Calvinus movetur ad negandam illam conſecutionem. p. 32. n. XXIII.

Reſpondetur tribus aliis argumentis Miniſtri Juriæi in ſuo Antidoto Gallice *le preſervatif*, à p. 33. n. XXIV. ad LI.

Quamvis interdum contingere poſſit Chriſtum ab Euchariſtiâ abeſſe, prudenter tamen creditur præſentem adeſſe. p. 70. n. L.

Adeoque conſtanter eſt adorandus. ibid.

Hujuſmodi adoratio eſt abſoluta, non conditionata. p. 72.

Eccleſia.

Eccleſia poteſt extendere aut contrahere ſignificationem vocum antiquarum, ad explicanda ſua dogmata, & myſteria ſuæ Religionis. p. 100. n. XXII. XXIII.

Poteſt item abſtinere vocibus obſcuris licet jam uſitatis, & uti illis quæ ſunt magis perſpicuæ & claræ, aut etiam alias adhibere. p. 137. n. XLV.

Eccleſia poteſt cultum divinum novis ritibus augere. p. 197. n. XXXI. XXXII.

Poteſt item fidelibus præcipere nova exercitia pietatis. Ibidem.

F

Fides.

Ad eliciendum actum fidei divinæ requiritur infallibilis certitudo de veritate objectivâ. p. 69. n. XLIX.

Ad eliciendum actum juſtitiæ ac Religionis Sufficit certitudo moralis. p. 70. 71. 72. n. L.

Digitized by Google

H

Honor.

Poteſt Sanctus aut Propheta aliquis ob duos fines diverſos honorari, p. 165. XIII.
Unus refertur ad Deum, non alter. ibid.

I

Idololatria.

Idololatriæ natura. Eſt cultus latriæ Idolo exhibitus, p. 77. n. III.
Idolum eſt res quæpiam ſenſu carens in quâ fingitur virtus aliqua divina; aut per quam falſum aliquod numen colitur, p. 77. n. III.
Triplex diſcrimen inter cultum Euchar. & cultum Idolorum, p. 60. n. XLI.
Imagines Sanctorum non ſunt Idola. 1. Quia neque creditur ineſſe illis virtus aliqua divina. 2. Quia illis non utimur ad falſum aliquod numen colendum, p. 91. n. XIV.
Ethnici non colebant Deum rerum omnium conditorem in ſuis Idolis, p. 80. n. V. ad p. 87. n. XI.
Neque Iſraëlitæ in vitulo aureo, p. 87. n XI. ad p. 91. n. XIV.

Imagines.

Quod genus honoris interius exteriuſque Imaginibus exhiberi poſſit, p. 111. n. XXVII. XXVIII.
Hujuſmodi honor non eſt Latria, p. 105. n. XXIV. XXV.
Non eſt Idololatria, p. 92. n. XV. XVI XVII.
Qualis honor in ſpecie exhibeatur Cruci & Imaginibus Chriſti, p. 110. n. XXVII. p. 119. n. XXXII.
Imagines nullam in ſe habent virtutem naturalem aut ſupernaturalem, propter quam coli debeant. p. 121. n. XXXIII.
Poteſt tamen Deus illis uti veluti inſtrumentis, aut ſignis ad efficienda miracula, p. 122. n. XXXIV. XXXV. V. Miracula.
Cultus Imaginum Sanctorum prob. à p. 214. n. I. ad n. X.

L

Latria.

Cultus Latriæ. Ejus natura, p. 92. n. XV.

Digitized by Google

Quibus actibus conſtituatur cultus ille, p. 104. n. XXIV.
Quem actum intellectus prærequirat; in quo voluntatis actu formaliter conſiſtat, p. 92. 97. 104. n. XXIV.
Eccleſia non exhibet rebus creatis Latriæ cultum, p. 105. n. XXIV.
Concilium Nicænum 2. nuſquam decrevit hujuſmodi cultum Imaginibus exhibendum, p. 94. n. XVII. XVIII.
Diſcrimen inter cultum Latriæ, & Duliæ, p. 4. n. III.
Explicatur mens ſancti Thomæ dicentis Crucem adorari adoratione Latriæ, p. 114. 115. n. XXIX.

M

Mediator.

Mediator duplicis ordinis.

Alter propitiationis. } p. 201. n. XXXIII.
Alter Interceſſionis. }
Solus Chriſtus eſt mediator propitiationis, p. 201. n. XXXIII.
Sancti ſunt mediatores interceſſionis, Ibidem.
Rurſum ſancti non ſunt mediatores, arbitri, & judices, ut Chriſtus.
Sed mediatores ſupplicantes, Ibidem,

Miracula.

Deus ſolus eſt autor verorum miraculorum, p. 217. n. III.
Deus miraculis loquitur, & ſuum teſtimonium profert, p. 218. n. IV.
Quâ ratione fierent miracula per virgam Moïſis, & ſerpentem æneum, p. 124. n. XXXVI.
Quâ ratione fiant miraculâ per Crucem & Imagines, p. 126. n. XXXVII.
Probatur veritas miraculorum quæ fiunt in Eccleſiâ Catholicâ, p. 127. n. XXXVIII. & p. 219. n. V. VI.
Probantur iiſdem rationibus quibus miracula primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculis fieri ſolita, p. 221. n. VI. VII. VIII. IX.
Miracula olim facta adhibitis S. Stephani & Sanctorum Nazarii & Celſi Reliquiis, p. 274. n. VI.

Miſſa.

Miſſa eſt verum ſacrificium, p. 205. n. XXX[illegible]

Digitized by Google

Hoc ſacrificium non differt in ſubſtantiâ, à ſacrificio Crucis, ſed tantùm in modo offerendi, Ibidem.
Miſſæ ſacrificium offertur in quatuor fines, p. 206. n. xxxv.
Non offertur Sanctis, quia nullus ex iis finibus ad Sanctos referri poteſt, Ibidem.
Offertur tamen in honorem Sanctorum, p. 207. 208. n. xxxvi.
Quid diſcriminis ſit inter duas illas propoſitiones; ſacrificium Sanctis offerri; & offerri in honorem Sanctorum, Ibidem.
Sancti Chriſtum orant, ut Patri æterno Miſſæ ſacrificium offerat, ejuſque fructum nobis applicet, p. 217. n. xl. xli.
Rurſum ſacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti ſimul cum Sacerdote, offerunt Patri æterno, hoc eſt rogant ut intuitu illius victimæ quæ eſt in manibus Sacerdotis, hominibus placabilis fiat, Ibidem.

P

Preces.

Quis ſit ſenſus nonnullarum precationum quas Eccleſia facit Sanctis, p. 175. 176. n. xviii. xix.
An Sancti cœlites audiant hominum preces, p. 180. n. xxi.
Qua ratione audiant illas, p. 181. n. xxii. xxiii. xxvi.
Quo pacto nonnulli mortui vivorum preces audierint, p. 186. 187. n. xxiv. xxv.
Explicantur ſcripturæ verba, quibus videtur ſignificari preces noſtras à Sanctis mortuis non audiri, p. 189. n. xxvi.

R

Reliquiæ.

Populi omnes venerationi habuere virorum illuſtrium cineres, quos eorum Reliquias appellamus, p. 264. n. i.
Etiam Hebræi veteres, p. 265. n. iii.
Cultus Reliquiarum vocari poteſt Religioſus quia imperatur à virtute Religionis, p. 267. n. iv.

Imperatur autem à Religione quia refertur ad Deum, Ibidem.
Porro referri ad Deum probatur, Ibidem.
An virtus aliqua admittenda ſit in Reliquiis: Ibidem.
Qualis ſit illa virtus, Ibid. p. 269. n. III.
Deus poteſt efficere miracula ad contactum Reliquiarum, non ſecus atque ad contactum oſſium Eliſæi & veſtium Pauli, p. 278. n. v.
Cultus Reliquiarum probatur autoritate Scripturæ, p. 271. n. v.
Autoritate SS. Patrum, p. 274. n. VI.
Miraculis inſignibus, p. 274. n. VI.
Principiis adverſariorum, p. 273. n. v.

S

Sanctorum cultus.

Proprie dicitur cultus ſacer, p. 157. n. VIII.
Poteſt tamen appellari cultus Religioſus quia imperatur à virtute Religionis, Ibidem.
Non eſt propriè & ſtrictè Religioſus, adeóque non debet vocari cultus Latriæ, Ibidem.
Sancti cœlites, & homines juſti coluntur eodem animo, nempe ut pro nobis Deo ſupplicent; non tamen coluntur iiſdem ritibus, p. 170. p. 171. n. xv.

Sanctorum cultûs tres ſunt partes.

Adoratio honoraria, p. 147.
Invocatio, p. 167.
Sacrificium, p. 205. n. XXXIV.
Adoratio honoraria prob. p. 147. à n. II. ad XVIII.
Invocatio SS. prob. p. 169. n. 14.
An ſit præceptum de illâ, p. 193. n. XXVIII. XXIX.
Sacrificium in honorem Sanct. prob. à p. 205.

Scriptura.

Regula certa ad dignoſcendum ſenſum literalem & ſenſum metaphoricum ſcripturæ, p. 22. à n. XVI. ad n. XX.
Chriſti verba *Hoc eſt Corpus meum*, ad literam ſunt intelligenda.
1. Ratio, p. 9. n. IX.
2. Ratio, p. 13. n. x.
3. Ratio, p. 21. n. XVI.

Digitized by Google

Species Euchariſticæ.

Tam Chriſtus in ſpeciebus Euchariſticis adorari poteſt, quàm Deus ipſe ab Hebræis in Tabernaculo, & à Moyſe, in nube adoraretur, p. 36. n. XXVI. XXVII.

Non ſecus ac ab Apoſtolis in Thabore, p. 38. n. XXVIII.

Et à piis mulieribus ſub ſpecie hortulani fuit adoratus, Ibidem.

An ſpecies adorentur, dum Chriſtus adoratur, à p. 41. ad 51.

Et quo adorationis genere, p. 42. n. XXX. XXXI. p. 47. n. XXXIV. p. 50. n. XXXV.

Unio Corporis Chriſti cum ſpeciebus Euchariſticis, p. 44. 45. p. 50. n. XXXV.

Unio ejuſdem corporis cum naturâ divinâ, p. 46.

Diſcrimen inter duas illas uniones, Ibidem.

Prima eſt ſacramentalis & accidentalis, Ibidem.

Altera eſt ſubſtantialis, Ibidem.

Propter unionem illam ſpecierum cum corpore Chriſti, poteſt quis, dum Chriſtum adorat, coram ſpeciebus ſeſe demittere, p. 41. ad p. 51.

Adoratio illa ſpecierum multum diſtat ab eâ quâ idem corpus adoratur, propter ſuam cum naturâ divinâ unionem, p. 46. n. XXXIII.

T

Traditiones.

Admittendæ ſunt traditiones divinæ, p. 195. n. XXX.

Prob. invocationem Sanctorum eſſe traditionem divinam, Ibidem.

V

Virtus.

Virtutum alia ſunt opera propria & elicita; alia imperata, p. 151. n. IV. & ſequent.

Quamvis poſt paginam 230. videantur deficere decem numeri uſque ad 241. nulli tamen deſunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3

Digitized by Google